



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio XI. De occupationibus & vita solitaria Jesu Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

voluptate demulceat Angelos in cælo: Vorum sanctuarium hoc est oclusum hominibus. JEsus Christus solitarius in domo Josephi, est DEus absconditus; & vita ipsius contemplativa tota abstracta in intimo cordis ipsius arcano, est mysterium magis absconditum Dei prorsus absconditi. Oportet ipsum adorare à longè, & foret temeritas aliquem illuc moliri & attentare ingressum.

Verum quidem est, reponit Ecclesiasticus, quod abscondere velit divini hujus sanctuarii arcana prudentibus & sapientibus, id est, animabus superbis, juxta estatum Salvatoris nostri; sed revelare ea dignetur parvulis, id est, animabus humilibus. Sæpius

simplicissimi quique agentes cum Deo in oratione absque artificio & cum innocentia infantili, excipiuntur quàm lautissimè, demulcentur in eâ blanditiis, & ex eâ plura addiscunt prodigia, quàm sapientissimi Doctores mundi. Novi bonam quandam animam, cujus candorem videre licet tum in facie, tum in verbis ipsius, quæ stupendâ loquitur de vitâ internâ JEsu Christi, deque rebus, quas percipiebat, dum sola vivebat separata à mundo. Hoc abundè sat erat, ad addendos nobis stimulos, ut inquireremus illam, quam inventam accessimus, & die sequenti hanc cum ipso instituemus consultationem.

CONSULTATIO XI.

De Occupationibus & Vitâ solitariâ JEsu Christi.

Qui non habet cognitionem vite internæ legendô præterire potest hanc consultationem, quia nihil ex illâ intelliget.

Anima, quæ statuit abstracte se à mundo, ut totam integram consecret se Deo, committit furtum, quod impunè & inultum ipsi non abit. Crucifigetur namque à persecutionibus, quibus obruet ipsam mundus, ad ulciscendum se de illatâ sibi injuriâ & contemptu. Sed & furto suo & à cruce suâ non occidetur; Non

enim absimilis est bono latroni, cui Salvator noster dixit è culmine crucis suæ, & in medio dolorum suorum: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ipsa profectò degustat delicias paradisi in solitudine suâ, in conversatione suâ cum Deo; & quamvis malè habeatur, non conqueritur de cruce sibi à mundo imposta, dedignans suos in ipsum retorquere

Luc. 23.
v. 43.

U u 2 ocu.

oculos, ad expetendam & extorquendam ab ipso veniam; tantæ sunt, quibus demulcetur & obruitur à Christo JESU, delicia. Is solus ipsi sufficit, tollantur ipsi cætera omnia, perdit nihil, modò is solus remaneat ipsi, & ipsa sola cum solo suum habeat solatium.

Status animæ,
quæ vivit sola
cum JESU
sola,

Invenimus bonam hanc animam, quam quærebamus, totam in cruce, & totam in paradiso cum JESU Christo. Siquidem ex unâ parte millenis persecutionibus affligebatur à mundo magno habita ab ipso despiciatui, tanquam persona generis singularis, societatis humanæ inimica, utpote abhorrens ab omni aliorum commercio, maximo adhæc digna probrò, ob vitam, quam agebat omnis expertem humanitatis, desidiosam, otiosam, ac proin odiosam, quæ nullam afferre videatur utilitatem mundo. Ex alterâ parte, Salvator noster, suas cum ipsâ capiebat delicias in arcano profundæ ipsius solitudinis, tam abundantes ipsi communicans gratias, ut frui videretur prælibatione quâdam paradisi.

Difficultas nobis erat, quâ ratione ingrederemur arcanum solitudinis & silentii ipsius: siquidem nemini, nisi directori suo loquebatur, qui solus post Deum noverat omnia, quæ concernebant intima animi ipsius sensa;

fed nec cum hoc loquebatur, nisi perrarò, & quantum requirebat necessitas, ad sui tantummodò directionem. Nihilominus feliciter nos deceptos invenimus, utpote comi oris ac vocis habitu exceptos ab ipsâ. Videtur DEUS, qui semper bonam fovet & adjuvat intentionem, & ipsi manifestasse nostram.

Non admodum difficile mihi erit, alloquebatur nos primo congressu, meam paulisper interrumpere solitudinem propter vos: siquidem probè mihi constat, vos non venisse, ut ab illâ me avocetis, sed potius, ut ipsi met intretis in eam. Verùm non sufficit ad obtinendam felicitatem agendi familiariter cum Salvatore nostro esse solitarium, sed insuper requiritur commissi arcani esse observantissimum: nôstis enim, neminem admittere quenquam ceu amicum intimum, & consiliorum suorum arbitrum, nisi sit retinens secreti. Reperire est animas, quibus liberalius communicaret se Deus, quàm faciat, si observare nôs sent arcanum: speciales blanditiæ, quibus infinita ipsius bonitas dignatur nos demulcere, sunt velut pretiosi liquores, quamprimùm deteguntur, evanescent in fumum; *Abcondere Regis sacramentum, bonum est*: At nos sæpe numero, si vel minimum quid inusitati favoris recipimus, flagra-

DEUS vult
nimas sibi
specialiter
dilectas ser-
vare arcanum.

Tob. 12. v. 5.

gramus desiderio communicandi id aliis; unde & merito in poenam & fracti arcani supplicium privamur illo.

Cur Christus absconderit nobis majorem partem vite suae.

Verum est, Salvatorem nostrum magnum esse solem, qui permanere notuerit in caelo; sed eo nomine nos acceperit, ut illuminaret omnes, & nemo remaneret in tenebris, nihilominus speciales quosdam habet luminis radios, quos pro amicis reservat magis intimis. Non absque ratione celare voluit majorem vitae suae partem mundo, qui illam intueri dignus non erat. Occupationes ipsius hoc temporis intervallo, tam erant sublimes, tamque admirabiles, ut si hominibus fuissent enarratae, nihil intellexissent ex illis, eorumque ipsorum superabant captum: & ideo S. Joannes, qui aquilae in morem sese sustulit in altum in principio sui Evangelii, ut recenseret nobis modo tam sublimi aeternam generationem Verbi in sinu Patris sui divini, tandem concludit totum suum Evangelium sublimibus aequae verbis, quando dicit, quod nonnisi minimam exaraverit partem; quod Christus JESUS tot & tanta fecerit alia; *Quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitretur mundum capere posse est, qui scribendi sunt libros.*

Joan. 21.

Plures aspiciunt haec verba velut magnam Hyperbolen, &

quasi is voluisset dicere, quod ^{Quomodo} tota capacitas caeli & terrae non ^{verba S. Joannes} sufficeret ad complectendam omnem multitudinem magnorum voluminum, quae scribi oportuisset. Sed revera hoc significat, quod, quando omnes creaturae ratione praeditae indagarent & rimarentur merita JESU Christi per omnem aeternitatem, capacitatem non haberent illa comprehendendi. Siquidem cum fuerit Deus-Homo, tria confecit, operum profusum admirabilium genera; alia pure humana, alia mixta, id est, simul divina & humana. Prima non possunt perfecte cognosci nisi a Deo solo, cum infinita sint in omnibus; alia possunt aequaliter cognosci a creaturis, sed non secundum omnem prodigiorum, quae includunt, latitudinem.

Prima haec verba, quae demonstrabant luculenter nobis, hanc animam valde esse illuminatam, nonnisi nostra auxerunt & accenderunt desideria, nosque extimularunt ad obsecrandum illam per omnem illum, quo erga Dominum nostrum ferebatur, amorem, ut diceret nobis aliquid de eo, quod sibi ab ipso manifestatum fuerat de occupationibus vitae suae solitariae, & ecce id, quod dixit nobis.

U 3

AR-

ARGUMENTUM.

Silentium Verbi.

ARTICULUS I.

Non sine querimoniâ aliquando interrogabam eum: Domine, eccur tempore tam diuturno abscondisti & incognitum servasti te mundo? Cum divina tua charitas impulerit te, totam vitam tuam, eamque integram sacrificare pro salute nostra, cur majorem illius partem subtraxisti nobis? Eheu! unicum momentum vitæ tuæ longè majoris erat integrâ vitâ omnium simul hominum; & verborum tuorum minimum plus habeat virium, quàm omnis facundia hominum & Angelorum. Fecisses mira ad instruendum & sanctificandum homines tum exemplis, tum verbis tuis.

Jesus Christus collocavit triginta annos, ut benè non doceret silentium.

Filia mea, respondit mihi, dedi & impendi triginta annos vitæ meæ, ut tacere docerem homines, persistendo hanc ob rem toto hoc temporis spatio in profundo silentio, ego qui sum Verbum, & Verbum Dei Patris mei æternum. Judica ex hoc, quàm habuerim cordi ut benè hujus lectionis addiscerent pensum, à quo dependebat plurimum ipsorum salus. Ego ideò descendi in terram, ut imbuerem illos luminibus, quæ

accepi à Deo Patre meo, ipsosque docerem, quid placitum sit illi: Ego video, ipsum non nisi unicâ vice loqui per omnem æternitatem, & non nisi loqui Verbum, & non loqui nisi Deum & de Deo: insuper verum est, unicum hoc Verbum, tam arcane, ^{Unicum.} tamque secretò pronuntiatum esse, ut illud non audiant nisi tres divinæ Personæ. Hic est silentium universale pro omnibus rebus creatis, quarum nec unica audit, quid dicatur in adorando hoc conclavi. Quando locutus est extra se, hoc non fuit, nisi per bona sua opera Totum hoc universum longus est discursus, compositus è tot syllabis, quot constat creaturis ad manifestandum bonitatem suam hominibus, & obligandum illos, ut ament se. Sed verbum hoc, quo usus est, ad producendum totum hunc magnum discursum, tam est breve, ut non fuerit nisi unicum *Fiat*.

Si homines benè addiscerent praxin silentii, omnes forent sancti: Profecto enim, *si quis nescit refrænare linguam suam, hujus vana est religio, & qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Si quis loquitur, loqui contendat magis per

Si homines benè scirent artem silentii, essent sancti. Jacob. I. v. 26. item 3. v. 2.

Sile
utili
Chr
ligi
citu

per manus, quàm per linguam suam, parum verbis, & multum bonis operibus; unicum bonum opus pluris est, quàm centum bona verba; nunquam magnus peccator repletus fuit Spiritu Dei; vasa vacua magnum excitant & faciunt strepitum, si vel minimum tangantur, quæ plena sunt, nihil omnino faciunt. Manifestum signum est, animam esse plenam Deo, quæ silentio est addicta, studiosa taciturnitatis; ejusmodi anima bonas fovet cogitationes, conservat illas levi labore penes se, ruminat & digerit illas cum voluptate, & ponit ostium circumstantiæ labiis suis, ne forsan hæ ipsi dilabatur; inutiles & vanæ facile evanescent per verba ipsis similia.

Non audebam ulterius ipsi loqui, perrexit hæc bona anima, videns tanti ab ipso fieri silentium, tantumque condemnari ab ipso multitudinem & abusum verborum, Sed ille, qui intuetur arcana cordium, & distinctè percipit silentium cogitationum, respondere illis, quas in meo revolvebam animo.

Tu admiraris, quòd tres suffererint anni ad docendum homines omnia Evangelii mei dogmata; quòdque, cum triginta impenderim vitæ meæ annos, ut docerem illos silentium, obtinere ab illis non potuerim, ut credant, sibi que persuadeant, pri-

mam lectionem Christiani, qui voluerit meus esse discipulus, meque imitari, hanc esse, ut addiscat filere. Siquidem vix unum reperias, qui teneat, silentium unum esse è præstantissimis religionis suæ exercitiis: nemo advertit, id primum & præcipuum fuisse, quod tam diuturno edocui tempore; nemo perpendit, me decies tantundem insudasse ipsi soli, quantum cæteris, omnibus. Judica ex eo, quem hic collocavi, labore, quàm utile ac necessarium judicem hominibus silentium; & judica ex parvâ, quam habent circa idipsum peritiâ, maximam id bene comprehendendi & in opus redigendi, difficultatem.

Hinc est, quod tam paucos invenire sit Christianos spirituales, qui contendat agere cum Deo de magno salutis suæ æternæ negotio: Siquidem per silentium agitur cum Deo spiritualiter, & per verba agitur cum hominibus corporaliter; & quasi tota hominum transigitur vita conversatione inter se reciproca, dum mutuo sibi suas invicem communicant cogitationes, quibus oppletum gerunt caput, quæque non sunt nisi inutilia ac futilia mundi crepundia. Nunquam non apertas gerunt aures, ut audiendo suæ satisfaciendi quæque curiositati aliorum, enarrando illis, quòd audierunt.

Qui

Silentium est
utilissimum
Christianæ re-
ligionis exer-
cium,

Pauci sunt
admodum
spirituales,
quia pauci
sunt additi
silentio.

Qui bene refricere voluerit linguam, debet quoque ocludere aures suas; nam qui magnâ tenentur aviditate percipiendi nova, non magno tanguntur silentii desiderio. Illi, qui muti sunt ex natura, sunt pariter ex naturâ surdi, ad instruendum nos, quod qui voluerint ex virtute custodire silentium, debeant etiam ex virtute suas obserare aures.

Non omnes, qui inspeciem institutum profitentur Christianorum, sunt in rei veritate tales; eòquod verè non capiant nec cognoscant mei spiritum Evangelii: Nonnisi illi, qui benè meum capiunt & sapiunt silentium, sunt in statu benè comprehendendi verba mea. Hinc quando voluero alicui animæ specialem exhibere favorem, ac ostendere me ipsi, separo illam à strepitu mundi & deduco in silentium ac solitudinem ipsam, ut loquat ad cor illius. Hinc volui tam ingentem esse numerum Monasteriorum, Cœnobiorum, Asceteriorum, velut eremos ac solitudines, ubi colatur ac observetur silentium, eòquod è cæteris mundi partibus videatur omninò expulsum. Omnia ibi semper in bono sunt ordine, quando benè custoditur silentium, & relaxatio quasi nunquam irrepit nisi per silentii rupturam.

Nonnisi illi benè addiscunt silentium verbi, qui verba capiunt sui Evangelii.

Beatus Dominicus Loricatus, cuius Petrus Damianus descripsit vitam, tanti esse ponderis credit silentium, ad optinendam, quò anhelabat, perfectionem, ut strictè & continuò observari illud præceperit in suo Monasterio per omnes septenos hebdomada dies, Dominicâ solâ exceptâ, in quâ suis permittebat religiosiis facere verba de rebus cœli post Vesperas duntaxat usque ad Completorium. Et vidit cum gaudio pacem & sanctitatem regnare in domo suâ.

Qui bene nôset custodire silentium, non loquendo quasi verbum in necessitate, totidem patraret miracula, Radulphus, qui exactum servaverat silentium sedecim integris annis, cum videret magnum in Monasterio excitatum incendium, omniaque devorari à flammis, rupit silentium & allocutus est ignem: si iste ignis, nec tranti ultra, mane in quiete & in silentio. Et in instanti hoc elementum, cui aures non fuissent pro loquaculo, obtemperavit voci hujus silentiarii, quasi magnum foret miraculum ipsum audire loquentem.

Evexerat Joannem silentiarii ad mitram Episcopalem, sed cum hic status, qui magnæ perfectionis est non conveniret cum consilio, quo familiarius illi loqui volebam ad cor, retraxi ipsum in solitudinem alicujus

Asce-

Monasterium silentii studiosum est cœlum,

Thom. Car. tip. l. 2. apud c. 14. h. 4

Observans benè silentium, parit miracula.

S. Joannes silentiarius deservit Episcopatum, ut servare possit silentium.

Asceterii, ubi exegit quadraginta septem annos omnino integros in perpetuo silentio: Exin suam conclusit vitam plenus meritis & gratiis, agens ætatem centum & quatuor annorum.

Angelus non præcipit Arsenio, nisi fugam, silentium & quietem.

Hinc est, quod miserum Angelum Arsenio, ut doceret eum omnia perfectionis exercitia, quæ diffuse traduntur in maximis voluminibus; omnia dixit ipsi tribus tantummodò verbis: *Fuge, tace, quiesce.* Abunde sat hoc fuerat ad conferendam ipsi peritiam contemplandi; deinceps enim alteri non intendebat, nisi quæ ratione id, quod fuerat edoctus redigeret in praxin; hinc à fratre suo visitatus ad miscendum cum ipso sermonem de rebus cœli & profectu spiritali, quem hæctenus fecerat in solitudine, non locutus est ipsi, sed aliquoties interrogabat semetipsum: *Arseni, quare existi è mundo? Arseni, quare mundum reliquisti?* Et interpolito aliquantisper silentio & profundo in cœlos emisso suspirio, sic effatus est: *Nunquam me tacuisse poenituit, sed sapius, esse locutum.*

Tripart. lib. 8 cap. 1. Silentium Abbatis Pambonis.

Abbas Pambo, cum inaudisset cantari hæc verba psalmi trigelimi octavi: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea:* satis, inquit, quando hoc benè redegero in opus, audiam & reliqua: abiit, abscondit se in solitudinem, altum servavit silentium, virtute cujus repletus

est lumine & cognitione cœli. Et longo post tempore inde exiens; Eheu! inquit, nondum didici doctrinam de silentio, quæ me imbuat Spiritus Sanctus in Scripturâ. Psal. 38. v. 2.

Non poteram me cohibere, adjunxit bona hæc anima, quin manifestarem tunc gaudium cordis mei per verba aliqua amore plena & gratiarum actione, ob offensam mihi pulchritudinem & valorem silentii, cui Dominus ac Salvator noster, quamvis ipse substantiale sit Verbum, & infinita ratione facundum Dei Patris sui, devovere voluerit tantos tamque pretiosos nobilissimæ vitæ suæ annos. Tantâ æstimatione, tantòque amore prosequor speciosum hoc silentium, ut à tempore hoc maxime abhorream conversationem cum creaturis, imò ipsi libri, quos amabam plurimum non amplius me tantâ afficiant delectatione, sed contentus jam sim paucissimorum lectione; novi enim silentium docere non loquendò, sed tacendò. Quando non aliud facerem in mea solitudine, nisi quòd imitarer, & honorarem silentium Salvatoris nostri, sat benè collocatum crederem meum tempus, meamque hinc invenirem felicitatem.

Æstimatio & amor silentii replet cor gaudio.

Bonus Ecclesiasticus, qui summâ perfundebatur voluptate audiendò speciosum hoc enarratio-

Xx

tio-

tionis exordium de occupationibus Jesu tempore vitæ suæ solitariae, exoptabat avidissimè plura adhuc circa illas addiscere; hinc dedita operâ interrogavit ipsam, an sicut ipse vacavit silentio, vacaverit etiam quieti? an sicut fuit sine verbo, sic

etiam fuerit sine opere & actione? eòquòd S. Lucas dicat; *Quòd su' dirus fuerit Maria & Joseph, id est, quod obtemperaverit illis, suamque collocaverit operam in eo, quod volebant; circa quod vide, quid dixerit nobis.* Luc. 2, v. 51.

ARGUMENTUM.

Obedientia supremi Monarchæ.

ARTICULUS. II.

Propria voluntas tyrannus est, & otium magnus labor.

Qui sectari vellet solitudinem, ad obsequendum ibi propriæ suæ voluntati, vel ad sectandum in illâ otium, non inveniret hîc solitudinis emolumenta, quæ majorem vacandi Deo suggerere videtur libertatem, sed potius implecteret se captivitatum omnium molestissimæ; siquidem tyrannis & servitus non est magis intolerabilis animæ, quàm illa voluntatis suæ propriæ, quæ velut mancipium servire ipsam facit tum immoderatis affectibus, tum peccatis suis; sicut similiter labor majori plenus tædio non est, quàm otium & desidia; neminem enim invenias magis occupatum eo, qui non habet, quod agat. Certi igitur sumus Christum Jesum absconditum non mansisse in longâ suâ triginta annorum solitudine, ut in ea vel propriam faceret voluntatem, vel faceret nihil.

Dederam me diluculo quodam orationi ad considerandum id quod facere poterat, & vehementissimo flagrabam desiderio recipiendi desuper aliquod lumen gratiæ. Quamprimum autem occurrit animo effatum illud sancti Lucæ: *Et erat subditus illis;* Et videbatur Dominus mihi dicere, quod maximarum voluptatum, à quibus in tam longa detinebatur solitudine, fuerit præcipua, quod ibi suam transigeret vitam sub obedientia Mariæ & Joseph, sicut filius, qui permanet in perfecta submissione, quam suis debet & exhibet parentibus. Et desuper dicebat mihi res tam admirabiles de obedientia, ut abriperer extra me totam.

Non poteram, inquit mihi, obedire Deo Patri meo in æternitate, cum ipso inferior & ipsius subditus non sim secundum obedientiam.

Jesus Christus maximâ fruebatur voluntate, obedendo Mariæ & Joseph.

Jesus Christus nascens, ex Deo Patre suo non poterat illi obedire, nascitur ex Mariâ, ut illi obediat.

dum Nativitatem, quam mihi confert ex propria sua substantia, sed sim ipsi æqualis in omnibus: Ideò ergò fieri volui ipsius subditus, & ipso inferior secundum aliam Nativitatem, nempe illam naturæ humanæ, ut illi me submittere, illius in omnibus possem obtemperare. Et cum viderem in Mariâ veram quamdam participationem, & in Joseph imaginem quamdam paternitatis DEI Patris mei, infinitâ tenebar aviditate obediendi illis sicut ipsi. Ducebam vitam meam maximâ cum voluptate in amabili hâc submissione; etsi necessitas instruendi & salvandi mundum, me non abstraxisset inde, nunquam dimissem ipsam; Eousque delectabat me vivere semper in obedientia.

Illa me abstraxit è sinu Patris mei, ut descenderem in terram; illa me retinuit ibi, quâmdiu voluit illam quoque scētari & aucupari volui omnibus momentis vitæ meæ. Ex obedientia tanto tempore permansi in silentio & solitudine; ex obedientia manifestavi me mundo & annuntiavi Evangelium populo; ex obedientia laboravi, iter feci, jejunavi, oravi, patravi miracula, & omnes obivi functiones legationis, quam acceperam à Deo Patre meo; ex obedientia denique passus sum persecutiones, injurias, contemptus sævos

dolores; & pro coronide omnium, meam finivi & absolvi obedientiam, omnem meum effundendo sanguinem, & meam in cruce sacrificando vitam. In omnibus his nil aspexi dulcius obedientiâ; nunquam enim aliquid vel egi vel passus sum ex propria meâ voluntate, sed ut obedirem voluntati Patris mei, qui misit me.

Tanti feci obedientiam, ut felicem me crederem, dum cogitabam mecum ipse: Ecce tibi! DEus obedit Deo. Nunquam obedientia poterat esse gloriosior, quàm videndo circumductam se quasi curri triumphali in personâ Dei Omnipotentis. sed sicut obedientia meâ nullis fuit circumscripta limitibus in dignitate suâ, sic nullos volui ipsam admittere limites in latitudine & extensione suâ. Volui obedire non solum Deo Patri meo, cui omnes creaturæ obediunt, sed etiam creaturis suis ex amore ipsius: siquidem obedivi hominibus, & non solum bonis ac sanctis, sicut Mariæ & Joseph; sed etiam malis & reprobis, sicut Judæis maximis adversariis meis & carnificibus crucifigentibus me. Ipsi rapiebant me ab uno tribunali ad alterum, ad diversos judices; & ego ibam, quocumque volebant: ipsi porrexerunt & iniecerunt mihi vestimenta ludicra,

Obedientia
Jesu Christi
non habet li-
mites neque
dignitatis, ne-
que latitudi-
nis suæ.

quæ fannis & sarcasmis, pudore ac verecundiâ operiebant me, & ego illa sumpsi, illa portavi absque contradictione. Ipsi onerârunt me ponderosâ cruce, ego amplexatus sum illam & portavi super humeros meos absque ullâ querimoniâ: Et quando affigere me cruci parabant, dicebant mihi: Extende hoc brachium, & extendi; porrige & alterum, & porrexi. Denique obedivi illis usque ad mortem in omnibus, quæ volebant.

Verùm longiùs adhuc meam produxi & protraxi obedientiam. Quando diabolus ipse, vilissimus & despectissimus inter omnes creaturas portare me voluit supra pinnaculum templi, meque sollicitare, ut ex illo me agerem præcipitem, id agere permisi ipsum; & quando exindè portavit me supra verticem alicujus montis, ut tentaret me ad adorandum se, volui etiam me ipsius submittere voluntati, quàm tam atroci me affecit injuriâ, ut universum pavore concusserit cælum. Et denique quando legio illa diabolorum, quàm ejeci è misero quodam obsessio, rogavit me, ut permitterem illis intrare in corpora certorum animantium, permisi id illis, & volui in hoc quoque ipsorum annuere voluntati.

Jesus Christus conqueritur de nostrâ inobedienciâ.

Vide, filia meâ, quousque protraxerim meæ executionem &

opus obedientiæ, quando sacrificavi me ex amore hominum, & post hæc omnia ab hominibus obtinere non possum, ut obediant patri meo & mihi. Si ordinem ipsis superiores, qui meas obeant vices, vellet hos esse sanctos & nec minimæ obnoxios imperfectioni; vel si tales habent, contemnunt ipsos, ipsisque amore mei renuunt obedire, non considerantes, me amore ipsorum obtemperasse inimicis meis, carnificibus meis. Quanto persona, cui exhibetur amore Dei obedientia, vilior est atque despectior in seipsa, tantò nobilior est obedientia, tantòque majori accumulatur Deum gloriâ.

Si nôssent homines arcanam in obedientia inclusam virtutem, & valorem, quem complectitur perfecta in voluntatem divinam submissio, brevissimam invenissent viam, assequendi quantocyùs sanctitatem maximam. Videbam Saulum, persecutorem fidelium, euntem in Damascum, spirantem ignem & flammam: Animus illi erat omnes delendi Christianos, & evertendi, quantum poterat, totum opus redemptionis humanæ. Vide ergò, quàm sublime conscenderit impietatis fastigium. Allocutus sum ipsum voce amicâ, sed forti, tetigi interius ipsum potenti gratiâ, ut
me

Prodigiola
virtus obe-
dientia, im-
mutans maxi-
mos peccato-
res in sanctos

Actor. 9.
r. 6.

me ipsi demonstrarem; Et cum ipsum stravissem solo convulsim tremore, ipse è fundo cordis sui pauca hæc protulit verba: *Domine, quid me vis facere!* Ex hoc momento, quo ipse affixerat cor suum irrevocabiliter voluntati meæ & obedientiæ, quâ subdebat se mihi; Ecce ipsum totum mutatum, evadit vas electionis, rapitur usque ad tertium cœlum, instruitur omnibus Evangelii mei veritatibus, accenditur totus meæ zelo gloriæ, tandem per antonomasiam magnus nuncupatur Apostolus. An longa jejuniorum mortificationum, orationum, ut huc perveniret, obiit exercitia? Non, sed brevissimam arripuit viam, dum illicò se totum obedientiæ & accuratæ divinæ voluntatis executioni affixit, nec unquam amplius ab eâ recessit.

Ecce id, dicit nobis bona hæc anima, quod Dominus noster dignatus est mihi ostendere circa pulchritudinem obedientiæ, quæ fuit amabilissimarum occupationum una, toto tempore vitæ ipsius solitaria: Nam incredibile cum fidelitate exequabatur illam domi & ubique, ubi cognoscebat voluntatem Sanctissimæ Virginis & S. Joseph, quibus subesse ex voluntate divini patris sui gaudebat maximè.

Pius noster & doctus Ecclesiasticus, cum haud leviter omnia

hæc approbasset & deprædicasset dogmata, voluit confirmare illa exemplo admodum memorabili, quod legerat in Cæsario. Erat religiosus quidam insignitus à Deo miraculorum dono, ita ut infirmi ipsius duntaxat attingentes vestimenta, mox & in instanti integram recuperarent sanitatem. Abbas ipsius speciale nihil observans in ipso, cum videret exterius sicut omnes alii, hærebat attonitus, sanctitatis inusitatae notas intuens in vitâ, quæ videbatur sibi cum vitâ aliorum communis & usitata, metuens quæ aliquam fraudem vocat & interrogat ipsum. Unde hæc omnia proficiscuntur miracula tibi adeò familiaria? an sanctior es cæteris? non video te magis addictum vel austeritatibus, vel orationi quàm alios; nunquam non videris mihi hilaris, nunquam non magno perfusus solatio: Es quidem accuratus & observans ad amissim statutorum tuorum: sed hæc vita communis est; nec quidquam agis in hoc, quod non agant omnes alii: Eccur ergò patras potius miracula, quàm illi? vel cur non patrant illi æquè ac tu?

Mi pater, respondit religiosus, eadem tecum me hujus rei ciet admiratio; si quidem speciale nil est, quod agam, juxta morem vivo professionis meæ, & mihi hoc sufficit. Sed recogita benè,

Xx 3 inquit

Cæsarius lib.
10. mirac.
c. 6.

Exemplum
memorable,
Religiosi obedi-
entis, qui
operabatur
continuo mi-
racula, quin
sciretur illo-
rum patran-
dorum ratio,

inquit ipsi Abbas, rimare penitius cordis tui intima, rationemque de eo mihi redde. Recogitavit paulisper cum morâ & respondit. Nil aliud omninò scirem, nisi quòd à longo tempore assueverim aliud nil velle, nisi quòd DEus vult: Nullum aliud mihi est exercitium, nisi quòd semper conservem voluntatem meam in accuratâ obedientiâ voluntatis Dei; & quidquid contigerit, siue bonum, siue malum, non contradico, nec ex eo unquam affligor; sed potius lætor de omnibus, probè gnarus, adimpleri in omnibus voluntatem Dei, meamque in hoc statuo felicitatem, quòd videam ipsam ubivis supremo jure dominari, meque ipsi obtemperare in omnibus. Hinc est, quòd me semper aspicias perfusum solatio; nulla enim mihi mœroris est ansa, cum omnia ad amissim nunquam non accidant, sicut ipse voluero.

Sed nuper, reponit Abbas, quando incendio devastati, exspoliati, tantam passi sumus jacturam, an lætari poteris? lætabar vel maximè, inquit Religiosus; siquidem memor illius, quòd dixit nobis Salvator in Evangelio, *quòd capillus de capite nostro periturus non sit absque voluntate Patris nostri celestis*, videbam divinam hanc voluntatem adimpletam, nostramque op-

pugnatam, & maximâ exin perfundebar lætitiâ.

Perrexit Abbas interrogare ipsum circa diversas speciales contingentias, easque plurimùm afflictivas; & magis magisque ipsum semper urgendo, expertus est, ipsum obedientiam suam & submissionem in divinam voluntatem eòsque protrahere, ut in ipsam penetraret æternitatem, & ita quidem, ut contentus esset tumulari in barathro inferni, modò fieret ex jussu divinæ voluntatis, & non ex inordinato ductu voluntatis suæ. O quanto delibutum me crederem gaudio, inquebat, dum hâc ratione obtemperare me viderem in perpetuum divinæ voluntati, patièdo ac tolerando, ut adimpleam ipsam, citra id, quòd unquam ab ipsâ divellar, vel repugnem ipsi in minimo! non sanè obtingeret id mihi nomine inferni, sed paradisi.

Bonus hic Abbas totus extra se mansit abreptus, absque verbo & velut extraticus; & post altum silentium, quo admiratio illius, quòd percepit, defixerat ipsum aliquanto tempore, reversus in se, amplexatus est illum illachrymans. Vade, michare fili, vade, tuumque constanter tene exercitium; tuorum fontem miraculorum, cum & ipsum nonnisi perpetuum sit miraculum. Vade, invenisti
para-

Matth. 10^o
v. 30.

paradisum extra paradisum solo tua exercitio obedientia. O si tua quis premere posset vestigia, quanta conscenderet celestium voluptatum fastigia!

ARGUMENTUM.

Humilitas summi ac supremi Entis.

ARTICULUS III.

Nondum satisfactum nobis fuerat ex eo, quod intelleximus circa occupationes Jesu Christi, tempore profundæ hujus solitudinis, in quâ tamdiu incognitus permansit mundo; & illa etiam, quæ hæc super re nobis loquebatur, nondum attigerat metam ejus, quod dicendum nobis circa hoc habuerat. Sic igitur iterum incepit.

Qui sequi veller directionem ductum & dictamen prudentiæ humanæ, persuasum sibi habebit, cum Dominus noster eo nomine descenderit è cælo in terram, ut esset lumen mundi, non debuisset se abscondere mundo, cum lumen factum non sit, nisi ut videatur, sicut tenebræ factæ sunt, ut non videantur. Bonum est homini, qui non nisi caligo est & tenebræ, abscondere se, quantum potuerit; quamprimum enim prodit in lucem, suum prodit & ostendit probrum, minimo offuscatur splendore, obruitur vanitate, perit & abit in auram. Verum DEO abscondi non convenit, cum lu-

men sit & lumen infinitum: hinc sæpius accessi Dominum ac Salvatorem nostrum in oratione admirans, & interrogans ipsum: Quid faciebas, o lumen æternum, in tam ingenti obscuritate ac caligine, in quâ ita manebas absconditus, ut nemo quasi perciperet, te esse in mundo? Et ecce tandem, quid ostenderit mihi.

In primis, cum infensissimus JESUS CHRISTUS hostis gloriæ Dei sit superbia, in vitâ suâ absconditâ oppugnavit superbiam, capitalem hostem gloriæ DEL. ruinam & magnam stragem perierit parti Angelorum in cælis, & cunctis hominibus in terris, necessarium erat, ut oppugnaret ipsam profundissimâ, quæ esse possit, humilitate. Major hæc esse non potest, quam videre infinitam Majestatem Dei totam redactam in nihilum: Verum elementum & conservatio humilitatis est solitudo, ubi quis manet omnino incognitus, & consequenter etiam despectus: Et hanc ob rationem commorari tamdiu voluit absconditus in domo Sanctissimæ Virginis & S. Joseph, ubi longis tractibus

bus & longo tempore bibere & degustare voluit dulciores vitæ abjectæ & contemptæ, à quâ homines aded abhorrent, sed quæ summè accepta est DEO, cum repareret gloriam ipsius à superbiâ offensam & conculcatam.

Jesus Christus continuu patrauit miraculum vivendo in mundo absque splendore.

Non poteram, dicebat mihi, ambire & aucupari gloriam, quæ mihi non debebatur: siquidem, si recepissem simul & semel omnes & summos omnium honores à cunctis creaturis, à primo Seraphim usque ad ultimum æris atomum, omnia hæc mihi meritissimo jure fuissent debita, & facillimè efficere potuissem, ut mihi redderentur: non aliud agendum mihi fuerat, quam ejaculari aliquos divinitatis meæ radios, manifestare meæ gloriæ animæ, sicut & illam mei corporis, mox vidissem omnes creaturas prostratas & circumfusus ad pedes meos, ut supremis me afficerent honoribus.

Ut quid non faciebas id, Domine? imminuisses profectò labores tuos, in instanti ignorantia & peccatum expulsa fuissent mundo & gloria DEI ubivis locorum introduceta, omnisque terra verus evasisset paradysus.

Non, inquit mihi, facere id volui; sed continuum nunquamque intermissum hanc ob rem patravi miraculum, totius meæ vitæ duratione suâ adæ-

quans curriculum, quo mei suspendebam gloriam corporis, meæque abscondebam magnificentiam animæ, quatenus Divinitas mea sub obscuro corporis humani velo abscondita non apparet: sicque permanere volui in statu prorsus abjecto toto tempore vitæ meæ, ob tres præcipuè rationes.

Prima, ut cognoscerent homines vim ac excellentiam, amoris mei; videntes, quod expoliaverit me pro suo commodo. Siquidem propria mea vita est gloria, eòquod receperim nativitatem meam æternam in medio splendorum gloriæ Dei Patris mei, cumque sim filius ipsius naturalis, etiam secundum humanitatem meam, possessio gloriæ ipsius mihi est debita in primo instanti meæ conceptionis insinu matris meæ. Cum ergò gloria mea sit propria vita mea, me exuisse & privâsse illâ, nonne hoc, fuerat mori vitarum omnium pretiosissimæ? Et si considerent homines, quod pro amabili hâc vitâ gloriæ quâ vivere debebam, sufferre voluerim humiliationes & contemptus omnibus momentis, quibus incolui terram, ad laborandum & tolerandum pro salute illorum; nonne æstimare debeant tot mortes secretas, quas sustinere volui pro illis ante publicam illam & manifestam,

Tres rationes vitæ abscondite & abjectæ Christi Jesu,

I. Ratio demonstrat nobis suum amorem.

2. P. ec. lita

stam, quam tandem sustinui in Cruce?

2. Ratio. Do-
get nos humi-
litem,

Secunda ratio fuit, ut illis præberem exemplum perfectæ humilitatis. Quando benè perpendent, me absconditum permanisse tanto tempore, qui tantum boni præstare poteram in mundo, me manifestando; addiscunt, quod, quando adornati fuerint omnibus talentis, omnemque possederint sapientiam tum Angelorum in cælis, tum maximorum hominum in terris, manifestare se non debeant mundo ex propria sua inclinatione; sed absconditi semper permanere more ignis, qui multo melius conservatur, quando absconditur sub cinere; insuper ament esse incogniti hominibus, ad conservandum se solos cum Deo solo, quoad placuerit providentiæ suæ proferre ipsos in lucem, admoveere ad id, quod ab ipsis desiderat, ipsosque reddere idoneos ad promerendam suam gloriam. Hoc ingens dogma est sapientia, & sapientiæ infinitæ, si homines sibi persuaderent, se ad nihil esse utiles, dum nihil à Deo, cui præsent, accipiunt muneris, seque contentos esse debere statu abjectionis, in quo plus gloriæ reddant Deo, quam in splendidissimis quibusvis muneribus ac provinciis, quibus semetipsos intrusissent. Econtra autem, se habiles

esse ad omnia, seque omnia posse, si Deo placuerit ad gloriam suam ipsorum uti operâ! quo in casu extimulare se ipsos deberent illo S. Pauli effato, cum integrâ in DEum conscientia: ad Philipp. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* v. 13.

Et tandem tertia ratio, quod tanto tempore in statu objecto vitæ absconditæ me continuit, est, quod supplere voluerim defectum humilitatis, quâ omnes destituti fuerant homines. Debuerant omnes sese immergere in abyssum nihili ad honorandas infinitas excellentias Patris mei cœlestis, quas tantis affecerunt injuriis, quantas commiserunt iniquitates & peccata. Sed quia humilitatis adeò profundæ capaces non erant, ad reparandas satis dignè injurias Deo illatas, immersti memetipsum in nihilum, quod ipsis fuerat amplectendum, & hic apertos illis teneo thesauros, è quibus accipere poterunt, quidquid sibi deficit ad satisfaciendum plenè Deo, modò me inquirant & invenire me studeant in hoc statu. Hic est ille, in quo tam longo permansi tempore, hic est ille, in quo facilius aures præbeo accedere me volentibus, hic est etiam ille, in quo liberalius meos dispertior favores. Nemo unquam accessit me in meâ solitudine, in meâ humiliatione,

3. Ratio. Sup-
plet defectum
nostræ humi-
litem,

Y y

qui

qui non recesserit plenus solatio, locupletatus divitiis æternitatis; sed status hic est, cujus pulchritudo me adeò oblectat, adeò displicet hominibus, ut nemo satis illius agnoscat valorem, illius æstimer pretium.

Ah! mi Domine, inquebam ipsi, vehementi gratiæ ipsius tangenti cor meum commota impulsu, mi Domine, fac cognoscere me illum, illiusque in me excita desiderium. Probè novi, dixisse se in Evangelio: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Equò nimium mihi constat proprio me experimento, nonnisi superbiam esse, quæ nos inquietet, & animarum nostrarum perturbet pacem. Qui eò usque vincere se ipsum posset, ut libenter vellet contemni, viveret semper quietus, pace nunquam non frueretur admirabili. Eheu! an nunquam felicem hunc assequar statum, ut degustem dulcedinem divinæ hujus pacis, quam dare non potest mundus?

Noveris filia mea, non minori opus esse gratia, ut in mea inveniar annihilatione, quam ut inveniar in mea gloria: duo hi status, sunt duo extrema, quæ infinitâ ratione videntur inter se differre, sed in mea conjunxi illas personâ; qui invenerit me in uno, invenerit me etiam in altero; sed in ambobus sum

DEus absconditus, & cunctis hominum inaccesibilis viribus: Lux nimia in uno ipsorum ofundit & offendit oculos, & tenebræ nimix in altero obcecat illos. Qui me intuentur in meâ splendoribus gloriæ, sunt Beati in cælo, sed oportet prius ipsos mori, ipsorumque à me corroborari oculos lumine gloriæ; Et quando hunc assecuti sunt statum, dicitur requiescere ipsos in pace æterna: *Requiescant in pace;* Et qui aspiciunt me in tenebris profundæ annihilationis meæ, sunt beati in terra; sed & ipsos prius mori oportet omnibus imperfectis naturæ inclinationibus ac desiderii, ipsorumque à me confortari animam gratia speciali. Et quando hunc obtinuerint statum, benè affirmari potest, ipsos in solida & constanti requiescere pace, quam nihil poterit perturbare: *Requiescant in pace.*

Bona hæc anima nobis enarrans ista, tam repleta erat lumine & cognitione circa excellentiâs humilitatis Salvatoris nostri, ut dies integros de his fecisset nobis verba; sed cohibere me non potui, quin interpellarem ipsam, ad enarrandum illi admirabiles affectus, quos Seraphicus Pater meus S. Franciscus ex eodem hausit fonte, è quo hauserat ipsa suos. Si quis unquam assecutus est intelligentiam & vé-

Principium
humilitatis
S. Francisci
ipsius pauper-
tas.

Math. II.
v. 29.

Non minor
requiritur
gratia ad in-
veniendum
Jesum Chri-
stum in pro-
funda sua hu-
militate, quam
ad possiden-
dum ipsum in
sua gloria.

& veram praxin annihilationis Jesu Christi, asseri potest, hunc ipsum fuisse: hinc est, quod tam absoluta & totali abstractione separaverit & avulserit se à mundo, ut totam suam hæreditatem voluerit esse mihi ex omnibus, quod DEus non est; de quo indispensabilem sibi imposuit obligationem, suisque ita præcepit Fratribus in regula: Fratres nihil sibi approprient; quasi diceret; Fratres mei non habeant aliam in terris possessionem, nisi purum nihilum: per quod medium ecce tibi illum subiectum omnibus, & infra omnes, nec alium tenentem locum, nisi quod omnium sit novissimus, sub pedibus cæterorum hominum, & unico verbo, omnino annihilatus.

Nolebat fratres suos habere aliquam auctoritatem aut potestatem in hoc mundo, nisi illam observandi ad literam sanctum Evangelium; Et licet ob virtutem suam amaretur à maximis quibusvis præsulibus, & à summis etiam Pontificibus, nunquam tamen voluit altum ab iis exposcere privilegium, nec etiam aliquod sponte ab iis oblatum acceptare; affirmabat enim, quod humilitas & submissio lucretur omnia: & sicut, si res dura projiciatur contra rem mollem, dum res mollis cedit duræ, illa hanc in se includit,

ac illius adit possessionem; sic cede omnibus, & omnes lucraberis.

Si fratres mei, dicebat, fuerint ad pedes præfulum & presbyterorum, hi amplexabuntur illos & amabunt tenerè; sed si accedere illos volent cum auctoritate, repellentur, & nihil officient. Quam si perseverantes in sua mansuetudine & humilitate, fuerint repulsi & exclusi à prædicando, vel exhibendo aliud quoddam obsequium animabus, cedant cum modestia, prædicabunt hoc exemplo tam efficaciter, ut conversuri sint omnes, quin etiam emollituri illos, à quibus primâ fronte tam durè fuerant accepti. Et postquam sic omnia humilitate fuerint lucrati, unus ad populum factus sermo plus afferet utilitatis, quam quinquaginta aliis, si fecissent illos cum auctoritate.

Et quia certi Religiosi, qui sequebantur dictamen prudentiæ humanæ, urgebant ipsum, ut aliam vellet carpere & tenere viam, cor suum tantâ doloris amaritudine transfixum sensit, ut voce animatâ zelo, totusque diffluens lachrymis dixit illis:

O fratres mei! ô fratres mei! vos vultis mihi auferre victoriam mundi. Ubertin. lib. 5. c. 1.

O fratres mei, quid cogitatis? quid agere vultis mei fratres? palmam de mundo jam reportatam meis vultis extorquere

Yy 2 mani-

Affectus humilitatis S. Francisci pro se & suis fratribus.

incipium
humilitatis
Francisci
pro paupo

manibus; siquidem Iesus Christus, vult ipsum me vincere, sicut ipsemet vicit illum, annihilando me ipsius exemplo; & novi hoc esse medium unicum, universum mundum lucrandi DEO.

Dicebat aliquando Episcopo Hostiensi, quem reverebatur velut patrem suum, & sui pro-

tectorem Ordinis. Mi Domine, si velis fratres meos afferre fructum in Ecclesia DEI, conserva illos semper in statu humili & spiritu vocationis suæ, subiectos universo mundo; ne augeas illos sacris principatibus, præsulumque gradibus, nec permittas extolli ipsos, aut aliqua fulgere dignitate in sancta Ecclesia.

ARGUMENTUM.

Annihilatio ipsius, qui est omnia.

ARTICULUS IV.

PROduxit sermonem de eodem argumento, bona hæc anima nobis dicens: Singulari afficior voluptate, dum confidero IESUM Christum mundo absconditum, cunctisque incognitum hominibus, nisi paucissimis suis intimis, velut Sanctissimæ Virginis & S. Josepho, quos secum habebat, ut illos felicigaret consuetudine suâ magis familiari, ac locupletaret abundantiam gratiarum specialium sibi soli cognitarum.

Iesus Christus
semper tetendit ad annihilationem. Nonne tu es, Domine, qui magnum es omne, cujus immensitas nullis stringitur limitibus? Nonne tu es DEUS Omnipotens, qui omnes eduxisti creaturas ex obscura caligine nihili ut exponeres eas luci? Et nunc extrahis te ipsum e mediis infinitæ tuæ gloriæ splendoribus,

ut abscondas te profundis nihili tenebris, ubi non magis appares mundo, si esses nihil ex omnibus. Postquam divinitas annihilata est in Humanitate tuâ sanctissimâ, Humanitas hæc, quæ infinitâ ratione sublatam se vidit in altum, non habuit stimulum magis fortem, magis frequentem, quam versus abiectionem & sui annihilationem, ad imitandum divinitatem, non quod hic stimulus fuerit ipsi naturalis, aut acceptus humanæ suæ inclinationi. Si enim vidimus, quod tantam ostenderit repugnantiam sufferendo mortem, ut ipsum oportuerit sanguinem sudare & aquam ad vincendum illam; concludere exin possumus, ipsum sensisse quoque repugnantiam naturalem tolerando humiliações & contemptus.

ptus. Et si verum est, ipsum laborasse plurimum tribus horis orationis suæ in horto olivarum, ad superandam aversionem naturalem, quam sentiebat erga crucem, erga dolores, & erga mortem; non credamus, otiosum fuisse ipsum per triginta annos vitæ suæ solitariæ. O quàm laboravit fortiter ad superandas naturæ humanæ repugnantias erga statum vitæ abjectæ prorsusque despectæ & quasi annihilatæ! Labor hic gravior & difficilior fuit, quàm ille creationis mundi: siquidem facilius est Deo facere ex nihilo omnia, quæ voluerit, quàm reducere omnia, id est, seipsum in nihilum, in quo collocavit se ex amore erga nos.

Quomodo
Christus
triumphavit,
maximè an-
nihilatus ap-
paruit.

O DEUS bone! quomodo asserere possumus, Christianos nos esse? quomodo credere possumus, nos premere vestigia Christi JESU, ipsumque sequi, si imitari nolumus neque divinitatem neque humanitatem, quæ non tendebant nisi ad se annihilandum? Oportet sequi, quò ivit ipse. Quid fecit toto curriculo vitæ suæ, nisi quod se annihilaret: Non diu visendum se præbuit mundo, & hoc inter millenas annihilaciones. Verum est, ipsum triumphum egisse semel, sed quanta cum abjectione? Ille, cui omnes cœlestes creaturæ præstant homagia; ille, coram

quo sublimissimi Seraphini se annihilant ex reverentia; ille qui collocavit solium suum supra fornices cœli Empyreï, ascendit super asinam. Spiritus mundi, fatua naturæ prudentia tu nihil capies ex admirabili agendi modo, quem observat spiritus Dei, qui totus oppositus est tuo. Omnes desiderant amare Deum; quid namque delectabilius, quàm glorioso & jucundo amoris vinculo colligari cum Monarcha & Principe tanto? sed nolumus amorem illum, qui paritatem conciliat inter amantes: abjectio, contemptus, exiguæ facultates, inopia, malus negotiorum successus, & jactura bonorum omnium est vera mansio puri amoris, sed hic nobis non aridet status.

Oportet tamen nos tandem huc devenire, invitis nobis. Considera maximam annihilationem, in quam redigimur à morte. An major intelligi possit humiliatio quàm illa, quæ deprimat summa mundi capita, Monarchas maximos. Perdere simul omnia, honores, bona, auctoritatem, amicos, & quidquid est in mundo, putrefieri, corrodi à vermibus, redigi in pulverem; ô quantò hic status maximæ hujus humiliationis percussit horrore carnem & sanguinem! sed quàm speciosus & egregius hic est ordo, quod ho-

Mors nos annihilat.

mo, qui insurrexit adversus DEum suum, eoque, ut ausus fuerit offendere illum, deprimatur ita, ut servire ceu alimentum cogatur vilissimis & abjectissimis terræ bestiolis! Ecce tibi effectum peccati, quod dum includit in se superbiam & creatoris contemptum, ira annihilat miserabilem creaturam.

Oportet amorem, qui fortior est morte, nos annihilare.

Sed nonne fortis ut mors est dilectio? an non possit hæc sicut illa annihilare creaturam? Nam si amare est bene velle objecto amato, quod aliud bonum velle potest amor noster Deo, nisi operationem gloriæ suæ? Nos offendimus illam superbiam nostram, oportet ergo reparare illam profundam nostram annihilationem. O si cognoscere liceret gloriam, quam reddit Deo anima, quæ probe cognoscit, quod, cum sit peccatrix, omnia humiliatiorum, opprobriorum, derelictiorum genera sibi sint debita, quæque in vivâ hæc persuasione, & amore, quo prosequitur commoda Dei sui, ipsi continuum exhibet sacrificium reputationis & existimationis suæ, consolationum suarum, commodorum suorum, totius personæ suæ, DEus, qui habitat in infinitâ sublimitate propriæ suæ Majestatis in seipso, suas aucupatur delicias extra seipsum in annihilatione hæc creaturæ suæ, purum suum amorem ita sibi sacrifican-

tis, & replet illam copiosioribus semper gratis ac favoribus, quantum magis viderit ipsam sese annihilare.

O quam beata sunt illa omnia, quæ nos annihilant! quando providentia Dei permiserit pluribus, nos obrui calamitatibus, jacturâ bonorum, diminutione honoris, derelictione amicorum, sinistris negotiorum, eventibus, nos coram mundo redigentibus in nihilum, nosque noverimus hæc omnia rata & grata habere, velut rem, quæ infinitâ ratione plus gloriæ reddat Deo, quam auferat nobis: bone DEUS! quanti videbitur parva hæc abjectio temporanea nobis pretii in æternitate! & melius adhuc est, quando nemo condolet nobis, quando adhuc vituperamur, quando credunt omnes, ea omnia nostrâ accidisse culpâ, nostrâ socordiam, nostrâ inconsiderationem; Et quando, dum nemo scit, id ipsum esse, quod nos quærimus, quod interius nos consolatur, credunt omnes, nos miseros esse ac infelices; sic enim abjecti & annihilati manemus omni ratione. Sed nunquam majores apparuimus coram Deo, quam in hoc statu: hoc enim est optimè sua ipsi præstare obsequia & aulico ipsum cultu prosequi, coram suis apparere oculis adornatum opprobriis, contumelias, ignominias.

Non

Amanda nobis sunt omnia, quæ nobis viam stent ad hanc annihilationem.

Fallax dolus
amoris pro-
prij suadet
nobis fugam
annihilatio-
nis nostræ.

Nos deserere volumus abjectionis & annihilationis statum, ut magis idonei simus, uti dicimus, ad DEum amandum, ipsique serviendum. Sed dolus hic est amoris proprii: nunquam enim DEus amatur purius, nec sublimiora accipit ab anima servitia, nisi quando magis hæc annihilata est & contempta. Non nisi fraus est maxima, magnas desiderare facultates, insignes naturæ dotes, eximia dignitatum munera, ut omnia hæc impendantur lucrosè ac utiliter pro servitio Dei: siquidem hæc & ejusmodi sæpius nos exstimulant, ad accendendum nobismet ipsis thura vani applausus, inanis complacentiæ, magis, quam promovendam purè DEI gloriam. Natura solers & arguta est, in requirendis semper iis, quæ suæ sunt conformia inclinationi, suo arrident palato, sub aliis obtentibus speciosis. Si haberem, dicitur, plus scientiæ, si non essem tam infirmæ valetudinis, si immunis forem ab hac cruce, credo facturum me mira pro obsequio Dei: merissima fraus. Exspoliari omni eo, quod oblectat naturam, & sufferre, quod affligit, conditio est magis idonea ad patrandum mira in virtute. Mi DEus, invenio nihil in me, nam totus redactus sum ad nihilum; sed tantò melius, cum hoc exstimulet me ad quæren-

dum omnia in te. Et hinc invenio te, quod oblectat me; nec paupertas mea affligit me, quia plenitudo tua consolatur me.

Videtur sibi quis nihil facere & inutilis esse omnibus, quando redactus est in statum vitæ abjectæ, despectæ, informæ ac impotentis, sed metuenda non est nec otiositas nec inutilitas in hoc statu, modò permanere hic quis velit contentus, hic vivere consolatus; nunquam anima magis vel nobiliori modo laborat, nisi quando gratanter accipit suam abjectionem; hic enim litat Deo sacrificium integrum totius sui ipsius: Nihil est, quod ita oderit spiritus mundi, quodque abhorreat magis, quam statum omninò abjectum & despicatui expositum. Sed quando placuerit Deo animam aliquo divini sui luminis radio illustrare, ad demonstrandum ipsi illius pulchritudinem; videt ibi tantas delicias, ut summo illarum accendatur desiderio; benè intelligit; ipsum Christo Jesu tempore vitæ suæ solitariæ, maximæ fuisse voluptati. Sancti, qui absconditum hunc invenerunt thesaurum, commiserunt quandoque manifestas fatuitates, ut fruerentur dulcedine prorsus cœlesti contemptus mundi. Apostolorum sapientissimus, incomparabilis S. Paulus non absque cordis dicebat
jubi

Mundus odit
statum abje-
ctum, & DEus
amat summè
ipsum.

I. Cor. 4.
v. 10.

Æstimatio &
amor abje-
ctionis.

jubilo: *Nos stulti sumus propter Christum Jesum.*

O sacra abjectio, quando perfecte cognoscam te? quando ardentem amabo te? quando totus immergar in te? quando lethali ictu feries me? ictu illo bene auspiciato, qui avellet & separabit me ab omnibus creaturis, & à meipso, & ab omni eòquod DEus non est? Amanus est, anima mea, ardentem Christus JESUS in omni statu & conditione suâ; sed præcipue in statu, ubi pauciores videtur habere sectatores, qui ipsum honorent, ipsum imitentur, qui est status vitæ suæ, incognitæ, abjectionum suarum, contemptuum suorum. Oportet incessanter efflagitare ipsum: O bone Jesu, annihilate & contem-

pte pro me fac me participem divinarum abjectionum tuarum, fac æstimare me illas, fac amare me illas, fac revereri me illas, fac me totam absconditam manere tecum, fac me nullam nisi te habere occupationem.

Haud parùm ædificati sumus, & etiam commoti, audiendo bonam hanc animam, cum tanta abundantia Spiritus DEI loquentem nobis. Sed videbatur nobis nondum tetigisse id, quod credebamus futurum magis proprium & præcipuum negotium & occupationem JESU CHRISTI toto tempore vitæ ipsius solitaria, quod verisimiliter erat oratio & contemplatio: circa quod percipe, quid deterit nobis.

ARGUMENTUM.

Quies Contemplationis.

ARTICULUS V.

Illi qui vident, mansisse tandem Christum JESUM in solitudine & silentio, antequam sese ostenderet mundo, admirantur, quod, cum venerit de cælo in terram, ut magnum exqueretur opus redemptionis humanæ, nonnisi impenderit illi paucissimorum numerum annorum, omne autem vitæ suæ residuum consumpserit in quie-

te. Verùm hi nesciunt quietem ipsius nunquam fuisse absque opere infinitâ ratione nobili, & nunquam ipsius opus fuisse absque perfectissima quiete. Hoc ipsemet ex misericordia me edocuit, videns me turbari quandoque ex timore, ne turber ac perdam quietem, quam esse novitam necessariam homini volenti navare operam orationi.

Non-

Cor non est
in quiete, nisi
semper sit in
actione.

Nonne vides, dicebat mihi, quod operatio & quies sint duæ res inseparabiles; procul abest, incompatibiles illas esse, sicut existimas. Sunt certæ operationes etiam corporales, quæ fiunt sine intermissione, sive quis laboret, sive quiescat sive dormiat, sive vigilet; respiratio & pulsus arteriarum corporis humani sunt operationes continuæ? nunquam quiete id frui potest, nisi habeat semper liberam duas hæc operationes, nisi perpetuo perficiat ipsas: quando enim impediuntur, obruitur dolore & inquietudine, quæ afferant necem.

Anima non
quiescit, nisi
semper operetur pro Deo.

Magis adhuc verum est, operationem animæ & quietem ipsius esse inseparabiles: ipsa nunquam est sine motu & inquisitione continuâ summi sui boni, in quo suam desiderat invenire felicitatem; Et in ipsa hæc operatione, perfecta ipsius consistit quies. Quando hæc operatio, quæ est velut ipsius respiratio, libera est & sana, quando directè ipsa tendit ad verum bonum, quanto plus impendit laboris, tantò plus invenit quietis: sed quando hæc operatio cessat, vel quando deflectit quærendo falsum pro vero bono (quod adhuc pejus est, quàm si cessaret) sicut non habet amplius veram operationem, ita amplius non habet veram quietem: oportet ipsam operari, & operari bene,

ut sit in quiete; operatio ipsius, & quies ipsius sunt inseparabiles.

Dicebam intra me, hæc audiens: Quàm beata foret anima, cui semel permetteretur ingressus in adorandum hoc sanctuarium cordis Jesu Christi, ibique videret ipsa, quâ ratione is occuparetur contemplatione continuâ excellentiarum DEI. Sed tantam exposcere gratiam reformidabam, cum favor mihi videretur plus nimio singularis, quàm ut de ipso obtinendo formarem mihi solummodo cogitationem. Et ille, qui ex nimia bonitatis suæ abundantia, nostra præoccupat desideria, voluit consolari me in eo, quod conceperam animo, sed exponere verbo non audebam, mihi quæ explanavit.

Quod distinguendæ sint tres partes in adoranda sua anima; inferior, superior, & suprema.

Tres sunt partes in anima Jesu Christi.

Quod in suprema, quæ transcendit omnem rationem & omnem intelligentiam humanam, ipsa potita fuerit clarâ visione essentia divina, à momento, quo creata fuit & unita personaliter verbo Divino. Quod cum proprius sit Filius DEI secundum Humanitatem suam æquè ac secundum divinitatem, ipse sit primus inter Beatos & ille, qui perfectius contempletur DEI essentiam, cum omni luminis,

Zz

amo-

amoris & fruitionis abundantia, cuius creatura habet capacitatem. Quod beata hæc contemplatio gloriæ nunquam fuerit interrupta, & nunquam nec unico momento interrumpenda; sed quod tempore vitæ suæ mortalis is totam habuerit moderationem in suprema parte animæ suæ, abs eo, quod permetteret, ut ipsa se effunderet usque in alias, quatenus hæ liberæ permanerent ad obeunda illa omnia, quæ necessaria erant pro Redemptione humanâ.

Quod in superiore parte animæ suæ, ubi dominatur ratio & libertas humana, cum totus repletus fuerit luminibus & cognitionibus divinis in intellectu suo, & gratis in voluntate suâ, perpetuò quoque contemplatus fuerit excellentias Dei, non quod illas clarè videret, sicut per visionem beatificam, nec etiam, quod illas non cognosceret nisi obscure in tenebris fidei, sicut omnes sancti ipsas aspexerunt, quoad vixerunt in terris; is enim nunquam habuit fidem aut aliquam obscuritatem in intellectu suo, sed videbat illas clarè per infusa lumina quæ ostendebant ipsi velut in plena meridie illa omnia, quæ fides abscondit nobis velut in tenebris & caligine noctis.

Divina hæc contemplatio duas excellentes habuit præro-

gativas. Prima est, quod ipsa non consisteret in puro quodam & simplici intuitu, sed tam amplo, ut hic ostenderet ipsi multò melius absque comparatione, quàm videant illa Angeli primæ Hierarchiæ & supremi ordinis, de quibus dicitur, quod quantò sublimiores sunt, tantò habeant cognitiones simpliciores & ampliores, quibus perfectius cognoscant id, quod omnes Angeli inferiorum ordinum non vident nec cognoscunt, nisi pluribus cognitionibus minus perfectis. Secunda est, quod simplex hic & perfectissimus intuitus excellentiarum DEI non fuerit unquam interruptus in medio omnium diversissimarum actionum, quas perficiebat in vita humana; sicut verum est, quod spatio totius diei, oculi nostri aperti videant semper lumen, quin unquam hæc actio interrumpatur, quamvis perficiamus multas alias actiones diversas.

Amor voluntatis suæ par erat lumini ac splendori intellectus sui, uterque continuus & perfectissimus. Et hinc est, quod perpetuò fuerit promeritus, non pro se, quia meritis non indigebat, sed pro nobis miseris, qui incessanter coacervamus malorum meritorum cumulum, quæ æternam nobis conciliarent ruinam, nisi thesaurus infinitæ ratione

Contempla-
tio Jesu Chri-
sti duas exi-
mias habuit
prærogativas.

Q
fe
in
ar
C

L

tionem & inexhaustus meritorum, quæ comparavit nobis, nos salvaret, ab illa nos redimeret. O bonitas ineffabilis! O bonitas infinita ratione amabilis, quæ omnes nostras transgredere malitias!

Denique in parte inferiori animæ, quæ commercium habet cum sensibus & affectibus humanis, erat etiam absque intermissione occupatus Deo, sed modo valde diverso à duobus aliis, cum illa non semper in eadem fuerit dispositione. Utebatur ipsa sensibus ad intuendam Majestatem DEI in creaturis, sed ratione diversâ, secundum quod illi placuerit se depingere in earum quâlibet coloribus magis vel minus vivis: utebatur ipsa affectibus suis & animi passionibus modò zelo, modò mansuetudine, modò gaudio, modò tristitia, modò desiderio modò timore.

Luc. 10. v. 21. Visus est effundere lachrymas ob excidium Jerosolymæ & mortem Lazari: visus est quoque dilatare cor suum gaudio, quando gratias agebat Deo Patri suo, quod abscondat secreta sua superbis & revelet ea parvulis. Visus est ita diffluere dulcoribus cæli & fruitione DEI tam copiosa, ut facies ipsius resplenderet veluti sol, & vestimenta ipsius facta sint alba veluti nix in monte Thaboræo;

Et exin in horto olivarum ita repletus est amaritudine & dolore, ut abreptus his fuerit usque in agoniam; tandemque in vertice Golgothæo conspectus est in statu tam miserando, ut sol se absconderit præ pudore & horrore, & omnes creaturæ induerint se lætu.

Quanta bonitatis abundantia, JESUS est exemplum & solatium bonarum animarum, JESUS est ex-visitare ita voluisse omnes hos status diversos, quorum unus plenus gaudio, alter ejusdem privatione, ad exemplum & consolationem bonarum animarum, quæ cum ipsum vident in tam diversis tamque oppositis dispositionibus, non terreantur, si quoque involvantur illis; quæque, dum considerant, ipsum in omnibus æqualiter esse DEUM, æqualiter sanctum, æqualiter beatum, huc sese extimulent confidentiâ, quod in quocumque esse potuerint statu, sive tristitiæ, sive solatii, sive luminis, sive tenebrarum, sive privationis sive possessionis, æqualiter esse possint acceptæ Deo, modò permaneant fideles, non volendo, nec quærendo, nisi ipsum solum!

Porro dixit nobis, quod quando S. Lucas scripsit, Infantem Luc. 2. JESUS crescebat ætate & sapientiâ, JESUM crevisse & profecisse ætate & sapientiâ, intelligendum id sit secundum literam de incremento continuo, quod faciebat in utroque. Nam sicut verum est,

Quâ ratione se habuerit inferior pars animæ JESU Christi,

templa-
esu Chris-
tas exi-
habuit
ogativas.

est, quod postquam hic DEUS æternus obstrinxit se tempore, per natiuitatem suam humanam, semper creverit ætate omnibus vitæ suæ momentis, ita ut nunquam duo momenta habuerit similiter, & sequens semper majorem fecerit progressum, quàm prius: ita sanctissima ipsius anima, cum uniri voluerit corpori mortali, & ab illius dependere sensibus, ad recipiendum ab iis novas notitias experimentales, non cessavit proficere & progredi semper in ejusmodi scientiarum ab extrinseco aduenientium genere. Quantum miraculum videre magnum hunc cœli Doctorem, factum in terris discipulum ac tyronem, ut propriis suis experimentis nostrarum addisceret scientiam miseriarum humanarum! Hæc erat in ipso sapientia perfectissima, eò quòd experientia sensuum suorum deciperetur nunquam.

JESUS formavit exteriorem suam Ecclesiam tribus, & interiorem triginta annis.

Ne quæras amplius, quæ fuerint occupationes interiores JESU Christi, tempore vitæ suæ solitariae: Ecce enim tibi illarum tres ipsi nunquam non continuas. 1. Fruëbatur visione DEI, velut Beatus. 2. Contemplabatur clarè ipsius excellentias, velut Sanctus Sanctorum. 3. Contendebat cognoscere illum propriis suis experienciis velut homo mortalis. Si suam formavit Ecclesiam exteriorem per

tres annos vitæ suæ manifestæ, dici potest, ipsum formasse Ecclesiam suam interiorem, per annos triginta vitæ suæ absconditæ. Exposuit se hic velut exemplar infinitâ ratione perfectum omnium omninò statuum: primò Contemplativorum magis sublimium: secundò eorum, qui nonnisi communem perficiunt orationem: tertio eorum, qui cum non habeant cognitionem vitæ internæ, utuntur suis sensibus ad exercitia virtutum, ad studium non intermissum cognitionis Dei, ad acquisitionem plurimorum meritorum, ubi quidem profectus videtur magis manifestus, quàm in iis, quorum vita est tota spiritualis, & tota abscondita in interiori, quàmvis hæc nobilior sit absque comparatione.

Sed quidquid vel dicere, vel cogitare possumus de admirandis occupationibus animæ JESU Christi, in sua solitudine & toto decursu vitæ, nunquam pertingemus eo, ut comprehendamus, quàm fuerint sublimes, quàmque profundâ abyssu luminis, solatii, quietis ipsum semper tenuerint absorptum. Non est intellectus humanus qui capere & cognoscere possit, quâ ratione magna hæc anima semper fuerit immersa & tota absorpta deliciosissimo Divinitatis torrente. O JESU! Adoro ineffabilem tuam

Anima JESU
tota immersa
divinitati.

tuam Divinitatis fruitionem in Divinitate ipsā: tu bibis non solum è fonte, sed totus sic fonti immersus es, ut nemo cognoscere id possit, nisi tu solus. O mi Jēsu! quàm ardeo videre te sic totum diffluentem puris deliciis beatæ tuæ æternitatis! nam tibi in hoc statu quid possit deesse?

Jēsus capit
delicias cum
animabus no-
stris, & nos
has illi dare
nolumus.

Et tamen affirmas, delicias tuas esse cum filiis hominum. O mi amabilissime Salvator, quàm plenum solatio est hoc verbum? Tu quo infinitarum deliciarum invenis fontem in sinu divini Patris tui, exis inde, ut alias quæras delicias in corde nostro; sed potius hoc est, tuas ut afferas illi. Tu referas nobis omnes thesauros tuos, tu effundis in morem torrentis nobis divitias tuas, & vivere nobiscum desideras, velut cum amico amicus, quorum bona sunt communia. O prodigium divinarum munificentiarum tuarum

erga nos parvulas & miseras creaturas. Tu dignaris nobiscum tuas capere delicias, & nos abnuimus, nec illas te capere permittimus conjungendo nos tecum, adhærendo tibi in oratione. Eheu! quomodò nostras capere possumus delicias cum quovis alio, quàm tecum solo? Nihilominus pleræque animarum non delectantur cogitando de te, eòquòd illectæ sunt deliciis & voluptatibus sensuum, quibus satiari permittuntur, quantum voluerint; & tu qui totus spiritualis es, aufugis ab anima carnali. Necesse est, ut spoliemus nos voluptatibus humanis, si gustare volumus divinas. Sed quam facile hoc foret animæ, quæ vel leviter consideraret vilitatem illarum, harumque valorem! ultima hæc verba, quorum postulavimus explanationem, dederunt ipsi ansam dicendi nobis id, quod intelliges.

ARGUMENTUM.

Contemplatio quietis.

ARTICULUS VI.

Non dicimus, Jēsum Christum locutum non esse mundo, nisi tribus ultimis annis vitæ suæ, quam duxit palam, cunctisque reddit manifestam; sed ipsum per triginta vitæ soli-

tariæ annos tam altum tenuisse silentium, ut nullum instruxerit, nulli ullam dederit informationem. Quantum ad me, majorem tribuo silentio huic facultiam, quàm omnibus verbis,

Zz 3

quæ

quæ effatus est, quoad vixit in terris, si docuit Christianos de plebe per tres annos, quibus conversatus est cum illis, docuit Christianos perfectos, quos separat à mundo quoque vocat ad vitam contemplativam, per annos triginta vitæ suæ absconditæ, quàm traduxit in solitudine. Hic profectò ipse est liber contemplativorum; unicus solus intuitus, quàm anima spiritualis ejaculatur in interiora JESU Christi in hoc statu, pluris est lectione totius alicujus voluminis; eòquòd invenire mox doceat ipsam, quod totus mundus quarit & desiderat, quodque neminem turbat, solidam nimirum animæ nostræ quietem.

Hæc esse non potest nisi in DEO solo, qui est centrum nostrum. Contemplari quietem admirabilem, quâ sanctissima anima JESU Christi potita est in divinitate, cui tota semper fuit immerfa est vidisse paradisum oculis nostris apertum; nonnisi opus est intrare: aspectus hic tam blandis affluit illecebris, incitando cordi ad solitudinem, ad silentium, ad contemplationem, ut nullus ab eo cohibere se possit, nisi ille, qui suos à tam specioso objecto avertit oculos; quod ut faciat, necesse erit sibi maximam inferre vim ac violentiam; siquidem anima proprium suum invenit, dum ama-

bilissimi sui JESU contemplatur paradisum. Quando hæc ipsum amat ex toto corde suo, quando revera ipsius quarit & procurare satagit commoda tanto profunditur gaudio ex eo, quod ipse sit DEUS, quodque æternaliter ipse fruiturus sit tam plenâ, tamque perfectâ possessione Deo, ut propriarum oblita miseriarum aliquid pro se desiderare non cogitet, eòquòd se omnia habere credat in eo, quem amat plus quàm se.

Dicit ipsa in corde suo: Quid refert meâ, quod nonnisi miseria sim, infirmitas & paupertas, cum videam, ô mi JESU, te DEUM esse infinitâ ratione beatum, infinitâ ratione divitem in temetipso? Non angor de paupertate meâ, tanto demulcet me gaudio ubertas tua: Confido tam parùm mihi unquam defuturum quàm tibi; quia, quod non habeo in me. habeo in te, quàm infinitâ ratione plus amo, quàm me. O pulcherrima anima JESU mei, quæ tam profunda, tamque jucunda frueris quiete in contemplatione tuâ divinâ, quanto perfundor jubilo, dum ita te video, & novi te ita in æternum mansurum. Non inquiri, quid mecum futurum sit, nec in vita præsentis, nec in æternitate: quando infelix forem ac misera, quando annihilarer omninò te semper DEUS eris,

Anima amat
gloriam JESU
Christi, obli-
viscitur pro-
prium mis-
eriarum.

eris, & infinitâ plenus gloriâ & felicitate in temetipso; hoc unicum mihi sufficit, & incomparabiliter magis in acceptis id refero, quàm propriam meam felicitatem.

Magnum negotium bonæ animæ est, occupare se JESU Christo,

Non fiat mihi sermo, de exantlando unquam alio hâc in terra negotio; maximum quod agendum mihi incumbit, est, me tuâ occupare felicitate, tuâ gloriâ, tuis excellentiis, ô mi adorandissime JESU, gaudere de illis, admirari incessenter illas, applaudere & congratulari illis: cætera omnia, quæ tractare possem cum hominibus, parva negotia, nihil fermè sunt in comparatione: sive succedant benè, sive eveniant malè, anget me minimùm: siquidem grande meum & præcipuum negotium nunquam non succedit optimè, nec unquam succedere potest nisi eventu auspiciatissimo, mihi que exoptatissimo, eòquod tu semper DEUS sis, & in æternum futurus sis, in divina tua quiescens felicitate. Ecce tibi ingens gaudii mei argumentum, & immobile meæ fulcrum lætitiæ.

Verùm si abstraharis à dulci hâc occupatione, interpellat bonus noster Ecclesiasticus, si avellaris etiam à tua solitudine, si ex ordinatione DEI impliceris pluribus abalienantibus animum negotiis, quæ excutere non

possis absque offensa illius?

Respondit ad hoc ingemiscens ^{Otium & vacatio à DEO} & oculos in cælum attollens: Fateor, otium à Deo unicum ^{magnum est} esse tormentum, quod affligere ^{supplicium bonæ animæ,} me posset; cruciarer inde magis, quàm avarissimus quisque suo spoliatus & auro & omni thesauro; siquidem nullus thesaurus comparabilis est illi, pro anima, quæ novit illum. Verùm si facta vi à mea avellerer solitudine, memo avellere me posset è sinu ipsius; & quando obruerer creaturarum intricamentis, negotiorum impedimentis, ubique apertam invenirent portam ad exeundum inde, & intrandum cum Salvatore meo in speciosum & spatiosum palatium divinitatis. Porta hæc est immensitas DEI, quem ubivis video, & in quam intrare possum in ipso instanti, quo de ipsa cogito.

Captivam experior animam meam, & vi detentam, quamdiu Commoratur in angusto & obscuro creaturarum carcere, & sentio defatigari ipsam, debilitari & tædio affici diurnâ occupatione cum quovis alio, quod DEUS non est, quàm gratum etiam fuerit à principio. Sed ^{Anima experitur carcerem inter creaturas; resumit suam libertatem in, trans in DEUM,} invenit ipsa libertatem suam, quamprimùm obtinuit, ut reverti liceat in vastam essentiæ & perfectionum DEI latitudinem; recreatur illa, dum ipsum quærit;

est beata, dum ipsum invenit; est plenè satiata, dum in ipso quiescit. Videtur his, qui non satis noverunt regionis hujus felicitatem ibi detineri quem vi factâ, ibi habitari cum fastidio, eòquod non adfit, quo quis se occupet. Sed an deesse possit jucunda occupatio, quando quis se occupat occupatione ipsius DEI, nisi quod ipse perfectè contentus sit uno simplicissimo intuitu, qui nunquam nec multiplicatur, nec variatur? Et anima tum multiplicet, tum variet aspectus suos, contemplanis modò unam, modò alteram perfectionem, juxta motum & impulsum gratiæ præsentis.

Quantum nobis probrum, quod tam libenter conversetur cum amicis, & tam parum cum Deo.

O mi DEUS! ille solus beatus est, qui novit te, quique tuæ gustat conversationis dulcedinem. An possibile sit, homines eoque oblectari conversatione cum aliis hominibus, tamque parum occupari Deo, cum quo sunt semper, quin unquam e medio finis sui exire possint, & in quo invenirent tam facilè, si vellent veram felicitatem, quam inutiliter quærunt in creaturis? An ergò ò ens entium, ens infinitum, fons perennis omnium entium! an tam parùm agnoscaris, ita tradaris oblivioni, tamque tenuis sit numerus animarum solitudinis amantium, quæ cogitent dere, quæque suam collocent felicitatem in eo, si tecum

ipsis liceat conversari? Reliqui omnes quasi nunquam de hoc suscipiunt cogitationem, imò credunt, tantâ sunt obvoluti cæcitate, hoc inutilis occupationis genus esse, sibi que alia conficienda incumbere negotia. Dum interim torquent & plurimùm cruciant se, aucupando mille parva creaturarum nihila, quæ ipsorum elabuntur manibus, sicut qui vellet præhendere manu atomos, quibus totus aër est plenus; negligunt, ne dicam, contemnunt magnum omne, & bonum infinitum, stans ad portam cordis eorum & desiderans implere illud mille consolationibus divinis.

Quâ ratione hoc esse potest? Quod facile & delectabile sit conversum cum Deo, Anima mea, tu tota penetraris ab essentia Dei; siquidem ipsa replet omnia immensitate suâ; Tu es igitur etiam in cognitione, qua cognoscit seipsum; tu es igitur etiam in amore infinito, quo amat seipsum: siquidem essentia ipsius, & cognitio ipsius & amor ipsius non nisi eadem simplicissima res est. Quid agendum tibi est, nisi ut annihilés & immutes esse tuum in esse ipsius, cognitiones tuas in cognitionem ipsius, & omnes affectus tuos in amorem ipsius. Hoc est, non esse amplius, nisi per essentiam ipsius, hoc est, non cognoscere illum, non amare illum, nisi per cognitionem ipsius, nisi

nisi per amorem ipsius. O mi DEUS! quanta mihi consolatio, quod exire mihi non liceat ex essentia tua! Ergo exire quoque non possum à cognitione tuâ, ex amore tuo. Quando non potero amare DEUM, nec habere bonum aliquem affectum in

corde meo, adorandarum reminiscar flammarum, quæ divinas succendunt Personas, inhærebo considerationi illarum, delectabor de illis, illisque congratulabor, & tandem me intra illas projiciam ex toto corde meo, ut comburam cum illis.

ARGUMENTUM.

Otium Sanctum.

ARTICULUS. VII.

Oblectabamur audiendo bonam hanc animam tam divinè loquentem nobis de sublimibus occupationibus animæ Salvatoris nostri, tempore vitæ suæ solitariæ, & de deliciis, quas reperit anima solitaria considerans quietem divinæ contemplationis suæ: experiebamur etiam desiderium novum vacandi deinceps magis ardentem vitæ internæ & orationi. Hoc est, quod exstimulavit me, ut quærerem ex ipsa, quodnam medium crederet efficacius, brevius & certius ad ingrediendum divinum hoc sanctuarium, ubi nobis solis conversari licet cum Deo solo, ad occupandum nos re non aliâ, nisi divinâ ipsius occupatione.

Necessarium est otium universale ab omni eo, quod non est DEUS, si quis velit bene occupari DEO,

Respondit mihi duobus verbis: Non est brevior via, nisi universale otium ab omni eo, quod DEUS non est. Reperire

est animas, quæ specialiter vocatæ sunt ad honorandum vitam solitariam Domini nostri, modo magis speciali, quam omnes alios vitæ ipsius status. Sicut enim habemus corpus naturale compositum ex pluribus partibus, quarum quælibet destinata est ad speciale suum munus, pedes ad ambulandum, manus ad operandum, oculi ad videndum, caput ad discurrendum, & sic de reliquis: ita JESUS CHRISTUS habet Corpus aliquod mysticum, compositum è totidem partibus, quot habet Christianos, qui omnes sunt membra ipsius; sed non omnes sunt destinati, ad exhibendum ipsi idem servitium. Aliqui deputati ad exercendum continuo bona opera; hoc totum est, quod exigit ab illis. Alii sunt velut lingua, quibus alia non incumbit cura, nisi

Aaa

munus Christi.

munus loquendi: DEus vult ip-
 sos loqui, instruere populos, di-
 cere è pulpito; decantare suas
 laudes; Ecce tibi vocationem
 illorum. Nonnulli sunt velut
 oculi, quibus incumbit prospice-
 re cunctis attendere ad omnia,
 & dirigere totum corpus; Et hi
 sunt superiores & præfules, qui
 sunt oculi Corporis ipsius My-
 stici.

Verum sunt & alii, qui sunt
 voluti illius cerebrum. Vides
 attolli hanc partem super totum
 corpus, non laborare illam velut
 manus, nec perficere aliquod
 opus omnium aliarum partium
 exteriorum corporis. Vides il-
 lam omninò solitariam, inclu-
 sam, & adedò absconditam, ut à
 nemini videri se finat. Fiunt ver-
 ba de crebro, velut de aliquo
 Eremita, siquidem dicitur, ip-
 sum habere suas cellulas, ma-
 nere solum & omninò se serva-
 re abstractum; aliud non habe-
 re, quod agat, nisi quod cogi-
 tet, meditetur, cognoscat, con-
 templetur; sed opus illi silentio
 & quiete; actiones operosæ vel
 nimium multiplicatæ illud distra-
 hunt, strepitus & tumultus illud
 molestant, conversationes ipsi
 tollunt tum tempus, tum liber-
 tatem suam, nec benè conficere
 potest opus suum, nisi totum
 sit solitarium & in silentio. Quis
 non affirmabit, prærogativas
 partis hujus esse singulares, &

munus ipsius longe esse nobilius
 muneribus aliarum.

Hâc ratione habet DEus gra-
 tias & prærogativas particulares
 pro certis animabus, quas vult
 esse in corpore mystico suæ Ec-
 clesiæ, quod est cerebrum in
 corpore humano. Hinc abstra-
 hit illas ab omni occupatione,
 etiam executione multorum bo-
 norum, quæ præcipit aliis, ni-
 hilque horum exigit ab illis; non
 insudant ipsæ operibus manuum
 suarum, nec laborant, nisi in
 quantum tenentur ut suæ satis-
 faciant obligationi; non loquun-
 tur ad instruendum populos, &
 convertendum peccatores, non
 intendunt oculos ad alia, ut mo-
 derentur subditos, administrent
 negotia, regant populos, præ-
 sint Ecclesiæ; unicum ipsarum
 negotium est cogitare de DEO,
 considerare, contemplari ipsius
 excellentias, illas admirari illas
 adorare, illas amare. Hinc est,
 quod velut cerebrum attollan-
 tur super omnes alias partes cor-
 poris hoc est, quod omnes res
 creatas teneant infra se per ge-
 nerosum contemptum, quo pro
 sequuntur illas; servant in mo-
 rem cerebri actam solitudinem,
 prorsus solitariæ, inclusæ & ita
 absconditæ, ut nulli se præbeant
 conspiciendas, nec quidquam ha-
 beant cum mundo familiaritatis;
 sed altum requirant silentium
 & magnam quietem, ut ritè
 exc-

Animæ con-
 templativæ
 sunt velut ce-
 rebrum cor-
 poris mystici
 Jesu Christi

exequantur impositum sibi sublime munus contemplandi DEUM.

Quam perfectum otium & abstractionem requirat DEUS ab animabus contemplativis.

Vix credi potest, quantum requiratur ab ipsis otii & abstractionis ab omni reliquo, non solum omni genere mali, cui nec levisimam adhæreant voluntate; sed etiam ab aliis bonis, quæ DEUS non exigit ab illis, quamvis magna hæc sint & magnæ perfectionis, & plurimum congrua aliis, quorum vocatio non ita tendit ad vitam contemplativam. Non sufficit otiosas & abstractas ipsas esse ab omni re exteriori; sed præcipue requiritur, ut otiosæ sint & abstractæ à semetipsis, à consolationibus suis, à desideriis suis, à commodis suis, & ab omni eo, quod DEUS non est, ut unicè & absolute sint illius & ipse cum illis, quod voluerit, facere possit. Qui loquuntur de vita hac divina, dicunt ipsam esse universalem oblivionem omnium eorum, quæ non sunt DEUS. Alii ipsam esse profundum silentium animæ, servantis se omnino in pace & absque strepitu, ad audiendum DEUM sibi loquentem. Alii, ipsam esse maximam solitudinem animæ, ubi inveniatur ipsa sola cum DEO solo, ac si re ipsa non nisi DEUS solus, & ipsa sola esset in mundo. Alii dicunt, ipsam esse omnimodam jacturam & amissionem animæ in Deo, ubi ipsa nihil sciat, quid secum fiat, & nihil cognoscat, nisi quod DEUS sit, sed quod sit incomprehensibilis.

Et omnes hæc loquendi rationes bene demonstrant, ipsam vitam contemplativam non esse rem, quæ dependeat à nostrâ in dustria, sed est opus DEI in anima. Vita contemplativa non dependet à nostrâ in dustria, sed est opus DEI in anima.

non esse rem, quæ dependeat à nostrâ in dustria, sed est opus DEI in anima. Et omnes hæc loquendi rationes bene demonstrant, ipsam vitam contemplativam non esse rem, quæ dependeat à nostrâ in dustria, sed est opus DEI in anima. Vita contemplativa non dependet à nostrâ in dustria, sed est opus DEI in anima.

viribus naturæ, quas impendere possimus; quodque, si labor sit animæ gratiâ adjuta, purificare se per pœnitentiam & mortificationem, opus sit DEI ipsam replere seipso, ipsamque attollere ad contemplationem divinarum suarum excellentiarum, ubi ipsa aliud non faciat, nisi quod cum reverentia accipiant, quod dare ipsi DEUS voluerit. Complacet autem sibi, formare parvas sui ipsius imagines in animabus valde puris, sicut sol depingere se amat in speculis & superficie aquæ, quando hæc est tranquilla. Non est opus, oculum nostrum habere aliquem colorem sibi peculiarem, ut recipere possit omnes colores objectorum, quæ ipsi exhibentur: opus etiam non est, animam nostram esse imbutam aliquâ cognitione vel aliquo affectu sibi peculiari, ut bene recipere possit illos, quos DEO placuerit conferre sibi.

Hinc asserunt nonnulli, quod, ut aliquis bene dispositus sit ad operandum, nihil cogitare debeat. Fatentur quidem, quod ad instituendam bene meditationem, oporteat præparatam habere materiam & bonas in intellectu suo fovere cogitationes; sed sustinent, ad hoc, ut aliquis attollatur ad contemplationem excellen-

cellentiarum DEI, opus non esse aliquâ cogitatione in intellectu, nec bonâ nec malâ. Hæc doctrina habere potest tum bonum, tum malum sensum; siquidem si aliquis nihil & de nullo cogitare velit ex stupiditate aliquâ brutali, contentus relinquere intellectum suum inutilem absque ulla applicatione, & omninò omni cogitationum genere vacuum, abs eo, quod quidquam aliud faciat, quàm quod ita permaneat velut truncus immobilis ac insensibilis; hoc merum est otium, est tempus perditum, est maxima indevotio. Verùm si de nullo cogitare quis velit ex voluntaria exspoliatione omnium suarum peculiarium cognitionum, omnium suorum peculiarium affectuum, ut se cum reverentiâ teneat & conservet coram Deo, velut speculum prorsus nudum, quod nullam contineat imaginem, sed quod expectet illam, quàm Deo placuerit imprimere sibi; hæc profectò eximia est dispositio ad contemplationem maximè sublimem: siquidem DEus, qui videt hanc animam non intendere nisi sibi, nec desiderare, nisi se, ipsamque eo nomine se ita habere, ut expectat id, quod sibi dare & conferre ipsi placuerit, haud difficulter se in ipsa depingit ipsamque divinâ suâ replet cognitione, accendit ardore.

Hoc est, quod alii aliâ explicant ratione, dum dicunt, quod ad instituendam benè orationem requiratur tranquilla & venerabunda attentio ad DEum. Alii, quod sufficiat simplex recordatio DEI præsentis: Affirmari non potest, hoc esse otium; Nam si intueri pulchram aliquam picturam cum attentione ad considerandum & admirandum illam, non est otium; multo minùs, si anima se reddat attentam DEO, nihil petens ab eo, nec aliquam formans ex se ipsâ in intellectu suo cogitationem aut affectum in sua voluntate. Sed cum sciat, quod DEI sit dare, & suum recipere; ipsum inexhaustam esse abyssum, semper expeditam ad effundendum se & communicandum ex sua abundantia; se autem esse abyssum imperscrutabilem miseriæ & paupertatis, abyssus una abyssum invocat alteram, suum inane invocat bonitatem repletionis & abundantia divini, quin faciat aliud, quàm exponere se ipsius oculis in maxima sua nuditate: & DEus, qui nunquam potentius operatur, quàm in nihilo, complacet sibi ædificare super hoc nihilum sublimissimum fastigium perfectioris animæ.

Salvator noster intuitus Magdalenam ad pedes suos, ubi agebat nihil, nisi quod tota intenderet ipsi, mente totâ in ipsum defixa, JESU Christi.

Anima nihil
agendum ha-
bet ad nisi
quod inteu-
dat DEO.

Exemplum
Magdalenæ
contempla-
neis ad pedes
defixa, JESU Christi.

1. Cor. 13.
v. 8.

defixa, defendit ipsam adversus
fororem. à qua arguebatur ve-
lut deses & otiosa affirmans ip-
sam elegisse meliorem partem,
quæ non auferetur ab ea. Mi-
rum est, ipsum locutum esse de
contemplatione, sicut Apostolus
ejus locutus est de sancta chari-
tate. Hic dicit: *Charitas nunquam*
excidit, hoc est, non finietur un-
quam; finietur fides, quando vi-
debimus id, quod credimus; fi-
nietur spes, quando possidebi-
mus id, quod speramus; sed
sancta charitas finietur nunquam;
incipiemus ipsum amare in ter-
ra, ut pergamus amare ipsum in
cælo per omnem æternitatem.
Et Jesus Christus similiter dicit
nobis, quod contemplatio fini-
enda sit nunquam: oratio medita-
tionis finietur; siquidem non
amplius erit opus discursu ad
excitandum nostram ani-
mam efficacibus aliquot motivis
amandi DEum, quando vide-

bimus illum; sed contemplatio,
quæ aliud non agit, nisi quod
adjiciat animum, ad intuendum
ipsum simpliciter, ad cognoscen-
dum, admirandum & amandum
illum, nunquam finietur, hoc e-
nim est, in quo Theologi collo-
cant essentiam beatitudinis; in-
cipimus contemplari DEum per
fidem in terris, ut pergamus con-
templari illum per visionem bea-
tificam in cælis, & finiamus id
nunquam in omnem æternita-
tem. O quam beata est anima,
quæ elegit optimam hanc par-
tem, nunquam ab ipsa auferen-
dum?

Ah! unde venit, quod omnes
desiderantes beatitudinem &
possessionem DEI, non eligant
illam, interrogavit ipsam Eccle-
siasticus? Quia, dicit ipsa habet
difficultates suas, habet labores
suos, quos ignavæ nauseant ani-
mæ. Et ecce, quomodo id expla-
naverit.

ARGUMENTUM.

Patientia exercita.

ARTICULUS VIII.

Plurimi stat,
esse spiritua-
lem.

Non fatis est desiderare per-
fectionem, aut petere à
Deo gratiam orationis & con-
templationis; sed oportet se ad
hoc disponere, fidelissimè agen-
do & nostras implendo partes,
quas implebimus, si nos abstra-

hemus à pluribus rebus inutili-
bus, quibus semper aliquo adhæ-
remus affectu; & affectus hic,
quamvis levissimus, nos semper
affigit terræ, nobisque tollit li-
bertatem elevandi nos ad DEum.
Vivere nemo potest vitâ divinâ,

Aaa 3

quæ

quæ est vita contemplationis, nisi moriatur vitæ humanæ, quæ est vita sensuum & naturæ; nemo mori potest huic vitæ, nisi pati: nemo pati vult & multò minus mori. Vivere quidem vellemus harum vitarum unâ, absque eo, quòd moriamur alteri; & sicut dicit S. Paulus, vellemus induere novum hominem, citra id, quòd exuamus veteram, sed hoc fieri non potest, nulla enim est societas luci ad tenebras.

DEus multa vult pati illos, quibus magnas præparat gratias.

Quando DEus præparat animam ad recipiendum magnos effectus misericordiæ, propinat ab initio ipsi & degustandos offert illos justitiæ suæ. Et quando destinat illam ad vitam sublimem, quæ est vitam contemplationis, facit ipsam mori vitæ abjectæ & imæ sensuum & naturæ, & ut mori ipsam faciat, facit ipsam multum pati; omnis generis crucibus onerat ipsam, jacturâ bonorum, honorum, amicorum, calamitatibus, sinistris eventibus, persecutionibus, infirmitatibus; magis adhuc ipsam affligit interius, tenebris, anxietatibus, timoribus, fastidiis, aversionibus ipsarum rerum sanctarum, tentationibus, pusillanimitatibus; & quod pejus est, agit, ut videantur ipsi mala sua esse incurabilia; in his omnibus inutiliter quærit consolationem, cum nihil consolari ipsam possit;

cum DEus velit eò usque ipsam pati, ut ex eo moriatur, & nihil amplius pro ipsa sit nec bonorum, nec honorum, nec voluptatum, nec consolationum, nec subsidiorum, haud aliter, quam pro mortuis. Sed hoc ipsum est, cui præbere assensum, nobis videtur durissimum, nolimus nec pati, nec mori, movemus cælum & terram, ut liberemus nos à cruce, & quærimus ubique consolationem: siquidem credimus omnia esse perditâ, nisi conservemus perpetuò vitam hanc sensuum & naturæ; & corrupimus omnia, quia quantum possumus, defendimus nos contra manum DEI, & destruimus opus ipsius in nobis.

O si resolvere se posset anima, ut permittat ipsum facere secum, quidquid voluerit; si permaneret tranquilla in cruce ab ipso sibi impositâ, quò minus illâ se quæreret exonerare, & etiam velle consolationem, nisi hanc, quòd sciat delectari DEum, faciendò hoc secum, quod ipsi placuerit, quin se opponat, ipsique reluctetur; unico verbo, si consentiret propriæ suæ ruinæ, volendò libenter pati & mori omnibus, quæ non sunt DEus; quam citò inveniret perfectam suam felicitatem in apparente & imaginariâ hæc miseriâ! siquidem quamprimùm desereret vitam

Non retrahendæ sunt manus à Deo, quando non crucifigit; sed patiendum & moriendum nobis est.

vitam hanc sensuum, mundi & naturæ, ædiret possessionem vitæ divinæ & supernaturalem gratiæ, quæ est proprium orationis & contemplationis elementum. Sed quàm paucos reperire est, qui emere illam volent hoc pretio, quàm paucos, qui comprehendant hanc rationem agendi, quam sequitur & tenet spiritus Dei, & pauciores adhuc, qui approbent & amplectantur illam, quibus sit animus illam sequendi. Vide, cur paucissimos, paucissimos, paucissimos spirituales numeret & contineat, mundus.

Nunquam finis patiendi est in hac vita,

Adhæc, si superata semel difficultate hæc naturæ tam amarâ, aliquis mox stabilitum se inveniret in pace tranquillâ & continuâ possessione Dei, resolvere se aliquis posset. sed semper de novo incipiendum est; siquidem natura semper vult vivere & sua repetere jura, & gratia vult illam semper mori, illiusque privatam manere. Si velimus statum orationis & contemplationis conservari in animâ, oportet & ipsam conservare semper exercitium mortificationis; & si velimus augeri illum, augere & ipsa debet mortificationem & perfectam sui avulsionem ab omnibus creaturis: Nam si vel parum in hoc sit anima negligens, oculi ipsius insensibiliter, certis quibusdam obteguntur nubeculis, quibus subtrahitur

ipsi aspectus DEI; & minima quævis libertas, quam concedit naturæ, est velut pulvis, quem projicit sibi ipsi in oculos, quo quidem non obcæcatur, sed plurimum incommodatur & impeditur libertas aspectûs sui. Oportet plorare ipsam, ut ab eo se liberet; id est, oportet ipsam concipere dolorem & agere de eo poenitentiam.

Invenitur in vitâ spiritûs tam benè, quàm in vita corporum, valde magna varietas diversorum statuum & frequenter oppositorum. Modò est dies, & quamprimùm est nox; modò tempus amœnum est & serenum, & illicò fit nubilum, incœstum ac triste; modò lenè est & valde tranquillum, & repente turbulentum est ac ventis infestum modò frigidum, modò calidum. Inter hæc omnia non desinimus vivere, & prout se offert, accipitur tempus, quin multum nos affligamus, si non sit ad vota nostra; armamus nos patientiâ, cum probè nobis constet, in eodem statu non diu persistere tempus, similiter expectandum & sperandum nobis non est, eundem nobis semper fore statum in vita spirituali; non semper aridet serenum, quandoque ingruunt & tenebræ: non calemus, accensi ardoribus magni fervoris; & suum est tempus frigori, quo algemus, & negligentes

Sunt variz tempestates pro anima sicut pro corpore.

gligentia constringimur gelu: non semper tranquillitate fruimur & magnâ quiete, degultantes pacis interioris dulcedinem; tentationes & adversitates, quæ irruunt, sunt venti, qui excitant tempestates. Sed inter hæc omnia cessandum nobis non est, quin vivamus semper æqualiter contenti, & indifferenter accipiamus tempus, quale placuerit Deo largiri nobis; relinquendum est ipsius arbitrio, mutandi hoc pro suo placito; is namque Pater cœlestis est, in cuius potestate sunt tempora. Nostrum est, ut fideles simus ipsi in omni tempore, omnemque volentes, lubentes amplectamur statum, in quo placuerit ipsi nos collocare; dicentes ex corde optimo cum vate regio: *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Pfal. 33. v. 2.

Sunt animæ, quas DEus accipit velut parvulos infantes.

Animæ modo incipientes servire Deo, sunt velut infantes, non nisi petentes dulcia; & plerumque concedit illis hæc DEus in tanta abundantia, ut illis prorsus inebrientur, eousque, ut seipsas amplius non noverint, nec sciant, quid dicant, siquidem putant ipsæ, attigisse iam statum quorumcumque perfectissimorum, totum ipsum provocant infernum, & admirantur, quomodo inveniri possit difficultas in exercitio virtutis, experimento edoctæ, sibi omnia esse facilia: festantur avidè pœnitentias, pro-

ponunt sibi exercere austeritates, quas legunt in vitis sanctorum, asperrimas, sæpe obruuntur sensibili dulcedine tam magna, ut abundantia hujus diffuat ipsa in corpora; non ratò deveniunt eo, ut patiantur deliquia, syncopis species raptuum & quasi extases. Videtur iis, qui hîc in re parvam habent notitiam, perfectâ & consummatâ pollere illas virtute; & nihilominus non sunt nisi parvi adhuc infantes, valde debiles & infirmi, quos DEus nutrit in principio lacte dulcedinis spiritualis ipsius necessariæ, quoad evadant fortiores & capaciores alimenti, quod difficilius digeratur.

Nil jucundius est, quàm audire, quid ipsa nobis dixerit de eo, quâ ratione DEus habuerit & exceperit Apostolum S. Paulum in principio conversionis suæ. Circumfulsit ipsam lumine, & locutus est ipsi, inquebat illa, voce forti ac valida; & ecce Saulum prostratum in terram; hic est pauper infans, quem gratia progenuit è sinu suo, sicut cerva progignit hinnulum suum ad ictum fulminis. Sed bonitas Patris cœlestis compassa ipsius infirmitati, protinus è terra sublevavit ipsum, suo constringit sinu, suis ipsum admovevet uberibus, quibus tres dies mansit affixus, velut profundâ abreptus extasi, ubi tam divinis

Quomodo DEus accipit S. Paulum in principio conversionis suæ.

nis lactatus est dulcoribus, ut totus fuerit ex iis inebriatus; non comprehendebat, quid in se ageretur, ita ut inde avulsus, quid diceret de eo, ignoraret. Si semper admotus mansisset his uberibus, nunquam evasisset magnus ille Apostolus, & nunquam sua præstitisset Deo obsequia in magno opere conversionis mundi, ad quod destinaverat ipsum. Oportuerat quamprimum subtrahere illi panem infantium, ipsius porrigere alimentum magis solidum, quamvis hoc ipsi primitus saporis pessimi debuerit videri.

DEus aggravat ipsum laboribus Apostolatus sui, exponit ipsum plurimum persecutionum tempestati: patienter hoc accipit. Verum permittit insuper Angelo Sathanæ, ut colaphizet ipsum indignissimè, concitando in ipso tentationem carnis vehementissimam & importunissimam. O quàm durum hoc est animæ, quæ semel degustavit DEum & timet displicere illi in re minimâ? Confugit ad DEum, gemit, ipsum observat, lachrymantibus obtestatur oculis, ut transferat hunc à se calicem ipsâ morte sibi amariorem: ipse est infans modò ab lactatus, qui plorat, qui denuò exposcit ubera ut pascat se ibi aliquo dulcore. Sed non est, quod amplius quid ibi expectet; DEus abnuvit ipsi,

& vult, ut assuescat deinceps his vivere, his pasci amaritudinibus, quæ quidem injucundæ sunt sensibus. & digestu difficiles; admodum tamen sunt salutare, mirificum conferentes robur, quibus optimè alatur & sustentetur anima.

Quomodò inquis, salutare illas esse, optimèque ex illis consuli animæ, quærit ex ipsâ Ecclesiasticus? Crederem equidem, In quo tentationes sint proficua. res roborare posse illam in exercitio patientiæ; sed interiores, quæ incitant ad offensam DEI, præcipuè illas, quas tolerabat S. Paulus, quæ accenduntur velut ignis infernalis in corde, quibus totus ardere est visus, ubi anima discernere quasi non potest an præbuerit, vel negaverit consensum; ubi experimur omnes sensus nostros ferri & inclinari ad volendum malum; ubi omnes potentia inferiores haud parvum addunt pondus ad succumbendum tentationi; & ubi consequenter ipsa se videt tanto periculo circumfusam; cum tam vicina sit præcipitio, ubi cadere potest in unico momento, quomodò asseris, illam sustentari ex eo, idque optimum esse alimentum ad roborandum ipsam in servitio DEI?

Non immeritò hoc dices, inquit hæc ipsi, si sentire malum esset eidem consentire; sed tan-

Bbb

tum

Quomodò
habitus fue-
rit successu
temporis.

Aliud est sentire malum, aliud eidem consentire.

tum inter utrumque est intervallum in animabus timentibus & amantibus DEum, ut non ita remotum sit cœlum à terra, quàm voluntas ipsarum remota sit à consentiendo in malum à sensibus suis ipsis propositum. Qui bene nôset indolem voluntatis nostræ humanæ, probè videret, ipsam nunquam remotiorem esse à casu, quàm quando fortiùs & vehementiùs oppugnatur; siquidem ipsa tam cupida, tamque studiola est libertatis suæ, ut nolit omninò ad aliquid cogi ac vi illatâ compelli. Quod majorem ipsi vim infert ad extorquendum violenter ipsi consensum, hoc magis in sua ipsam roborat ac confirmat resistentiâ: oportet blandiri ipsi ac dolo decipere, qui capere vult ipsam, & non bellum movere ipsi. Quando proponitur ipsi horror peccati, quod à longo tempore lethali prosequatur odio, quæcunque ipsi inferatur vis, longè abest, ut consentiat in illud.

Mirum non est, si sensus, in quibus residet voluntas carnis, suum hic præbeant annutum, & vehementi illuc ferentur inclinatione, eòquòd agant naturaliter, & libertatem non habeant naturalibus suis reluctandi inclinationibus, non magis, quàm habeat lapis, cohibendi se, ne tendat deorsum ex sui

impulsu ponderis; hoc est, quod dicitur, non sensus, quam voluntas spiritalis non potest impedire, sed consensus dependet ab ipsa sola, hunc si præbeat, infinitâ ratione displices Deo, & funestum hunc consensum semper sequitur peccatum. Verùm sensus non displicet illi, sed potius placet, dum videt animam in hac afflictione constitutam, quæ ipsam exerceat, & ipsa exinde proficiat; & malum hunc sensum cum patientia & humilitate toleratum semper sequitur gratia & novi alicujus retributio meriti. Hinc est, quod abnuerit liberare à tentatione suâ sanctum Paulum, ipsique responderit, sufficere sibi gratiam suam; hoc est, quod sufficere illi debeat, ad se animandum, seque extimulandum ad patientiam, nôsse, medium hoc esse ad obtinendam majorem gratiarum suarum abundantiam.

Credit mundus, dicebat ipsa nobis, facillimum esse, vivere solum, & nihil habere agendum, quàm cogitare de Deo. Verùm si sciret ejusmodi vitæ labores, fateretur omnia illa, quæ labores nuncupantur in communi & usitatâ vitâ sæculi, parva esse in comperatione. Sicut actiones animæ multò operosiores & ampliores sunt illis corporum, ita quoque ipsius passiones, & quascunque tolerat pœnas, amarior

Status vitæ solitariz & contemplativæ summè abstractivus, & summè consolatorius est.

Optima regula pro solatio animarum.

riores sunt & molestiores. Verum quidem est, ipsam quandoque frui consolationibus, quæ transcendunt ea omnia, quibus tum ab Angelis, tum ab hominibus & omnibus simul creaturis locupletari posset, eòquod divinæ sint, illasque ipsa hauriat ex eodem fonte, e quo Beati in cælo hauriunt & abundanter bibunt vitam suam æternam. Sed aliquando obruitur afflictionibus tam amaris, ut excedant ea omnia, quibus à creaturis simul omnibus cruciari posset & affligi, eòquod afflictiones sint divinæ, ipsaque dicere possit cum sancto Job *Mirabiliter*, mi DEUS, *me crucias*; nempe ratione, quæ admirabilis sit, & incomprehensibilis verum hæc meliora ipsius sunt tempora, si benè id capiat. Omnis ipsius fidelitas in hoc tunc vertitur, ut constans permaneat in afflictione, nec citius velit ab eâ liberari, quàm placeat Deo, in moerem incudis, quæ inconcussa

Job, 10. v. 16.

semper & immobilis manet, omnes expectans ictus sibi infligendas, plurimum in hoc utilis suo Magistro & Domino, absque eo quòd quidquam faciat aut agat. Tempore afflictionis faciendum nihil est, quàm pati & Deo hoc sufficit; Et anima in hoc statu proficit mirabiliter, si persistat patièdo fideliter.

Fatendum est, miras afferre delicias, bonam invenire animam, quæ DEI repleta sit spiritu. Totus sine fastidio duxissemus dies in ducto ab illa & cum illa colloquio, cum nec unicum nobis diceret verbum, quod singulari gratiæ nos consolantis careret unctiōe. Sed tandem relinquenda nobis fuerat in sua solitudine, ubi morabatur ipsa ad honorandum absconditam Domini & Salvatoris nostri vitam, quatenus & nos nostrum prosequeremur iter, quod nos deduxit & in regiam iteratò direxit viam.

CONSULTATIO XII.

De Baptismo & Jejunio Iesu Christi.

Ingens exorta erat disceptatio inter pastorem magni cuiusdam pagi & parocos sive curiales ipsius, circa imaginem

quandam sancti Joannis Baptistæ, qui erat loci patronus. Parochus volebat illam mutare, & populus id tolerare nolebat.

Bbb 2

Fere-